

August Varenius Anton Zwicke

De Theologia In Genere Et Principio Credendorum Verbo scilicet Scripto Dissertatio

Rostochii: Richelius, 1655

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740006428>


Druck Freier  Zugang



R. U. Phys. 1655

Varennius, August /a

Vestss Zwick, Anton



DE
THEOLOGIA
IN GENERE,
ET
PRINCIPIO CREDENDORUM,
VERBO scilicet SCRIPTO
DISSERTATIO,

Quam
Benedicente Numine Sanctissimo,
Cum concensu atq; approbatione Venerandæ Facultatis
Theologicæ, in Illustri ad Varnum Lycæo
Sub PRÆSIDIO

MAGNIFICI p. t. RECTORIS
VIRI

*Plurimum Reverendi, Amplissimi, Clarissimi
atq; Excellentissimi*

DN. AUGUSTI VARENI, S.S. Th.D.
Ling. Oriental, & Catech. Christian. Profefs. celeberrimi,
Amici sui Fautoris ac Præceptoris in æta-
tem colendi,

Publico & placido examini subjeciet
M. ANTONIUS ZWICKIUS,
Lippstadio-Westph.

*Ad d. 13. Octob. horis antemeridianis
in Auditorio majori.*

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS RICHELII, Sen. Typ.
Anno clæ læc LV.


DE
THEOLOGIA
IN GENERE

PRINCIPIO CREDENDORUM
VERBO INFERRE
DISS.

Beneditio
Cuiusmodi
theologiae

MAGNIFICENTIAE ROSTORII

DR. AUGUSTI ARENI S. TH. D.



M. ANTONII WICKIUS

ROSTORII, J. JOHANNIS RICHTER, 1717



כשם דמרן ישוע משיח

DE THEOLOGIA IN GENERE.



Primordio in vocis Theologiæ nativâ indole ejusq; ambiguitatis synonymiæq; explicatione, ut boni moris est, subsistemus. Originem Grammaticam inquirere non magni laboris est, eam enim esse origine Græcam & quidem $\delta\alpha\tau\acute{o}$ & $\theta\epsilon\acute{o}\varsigma$ & $\lambda\acute{o}\gamma\omicron\varsigma$, pueris notum est. Appellationis seu denominationis originem quod attinet, non est ea novi foederis vox, quâvis in plurimis ejus locis $\theta\epsilon\acute{o}\varsigma$ & $\lambda\acute{o}\gamma\omicron\varsigma$ & $\theta\epsilon\acute{o}\varsigma$ mentio fiat, at $\theta\epsilon\omicron\lambda\omicron\gamma\iota\alpha\varsigma$ nullibi. Occasionem autem hujus denominationis veteribus titulum illum Johannis Apocalyptici in libri sui $\theta\eta\lambda\omicron\gamma\omicron\gamma\alpha\phi\acute{\iota}$ existentem, præbuisse, vel etiam eos hanc à Gentilibus (qui doctrinam, quam de Diis suis, hõrumq; cultu habuere Theologiam, sicut hanc doctrinam profitentes, Theologos appellârunt, teste Lactantio, de Irâ Dei c. 11. & Eusebio lib. 1. de præparat. Evang. c. 7.) commodatò accepisse, extra dubium est. Servamus autem modò hanc præ aliis denominationem, quia scilicet est in Ecclesiâ usitatissima & communissima.

2. Sicut porrò idem verbum quod de nobis ipsis vel aliis rebus in mentibus nostris latitat, aliter considerandum venit, quàm id quod de nobis ipsis vel de rebus aliis ad considerandum voce expressimus atq; aliis proposuimus; sic alio modo considerandus est $\lambda\acute{o}\gamma\omicron\varsigma$ & $\theta\epsilon\acute{o}\varsigma$ quatenus scilicet est $\alpha\iota\omega\tau\acute{o}\varsigma$ & $\theta\epsilon\acute{o}\varsigma$, & alio, quatenus est $\theta\epsilon\acute{o}\varsigma$ & $\theta\epsilon\acute{o}\varsigma$ vel $\alpha\epsilon\iota$ & $\theta\epsilon\acute{o}\varsigma$. Et sic porrò alia consideranda venit Theologia ipsius Dei (quàm tamen sapientiam Divinam, quàm Theologiam dicere præstat) & alia Theologia de DEO & circa Deum. Scholastici *Theologiam* hanc vocant *in nobis*, illam *Theologiam*

A

gians

giam in se. Plurimique tamen Theologi hoc tempore illam faciunt vel nominant *ῥησιμον*, eamque definiunt sapientiam rerum Divinarum in ipsius Dei intellectu essentialiter existentem, atque cum ipso coaeternam; Hanc verò *ἐκτυπον*, eamque definiunt sapientiam rerum Divinarum intellectui creato gratiosè communicatam. Cum autem hæc communicatio ratione subjecti triplici modo sit, dividunt hanc Theologiam *in unionis*, quæ illis est habitualis illa, & finita quidem: sed excellentissima scientia humanitatis Jesu CHRISTI, quam ex hypothesi communi Papismo & Calvinismo solam agnoscunt Scholastici, & cui post instantis unionis incrementa denegant Pontificii: Posterius malè; prius bene quidem si non excludatur illa quæ rectius Theologia unionis diceretur, & quæ per gratiam unionis inest humanitati Jesu Christi, Theologia *ῥησιμονος*: *in intuitionis* quæ est sapientia rerum Divinarum cujus participes sunt per gratiam, Angeli perseverantes & homines beati in æternam vitam sublatis, unde & Beatorum Theologia dicitur. Angelorum Theologiam testantur sacra Matth. 18. 10. Beatorum cœlitum 1. Joh. 3. 2. 1. Cor. 13. 12. Dicitur etiam aliàs cognitio seu visio Dei in Patriâ: & *in revelationis Theologiam*, quæ est sapientia rerum Divinarum hominibus in vitæ hujus viâ, unde & cognitio Dei in viâ seu viatorum dicitur) adhuc versantibus per gratiam communicata, intuitiva (quidem, non ad faciem, ut cœlitum est, sed) ad speculum tantum vel *ἐν ὄψει*, eaque finita est & cessans, hanc colliges ex 1. Epist. ad Cor. 13. 12. c. 2. v. 10. 11. seqq. Cum ulterius ex magnitudine mundi hujus machinæ admirandaque omnium rerum in eo existentium dispositione & ornatu prudentique gubernatione, specierum optimâ conservatione & successivâ propagatione, luminarium cœlestium, lunæ, solis & stellarum adeoque temporum ordinariâ revolutione, rerumque humanarum tum politicarum tum Ecclesiasticarum admiratione aliisque argumentis, intellectus noster creatus colligat atque demonstret, maximè necessarium esse dari horum effectuum principalem causam eamque unicam, quæ demonstrationes sunt quasi rudera fragilia notitiæ in naturâ post lapsum deperditâ residuaque ex notitiâ in naturâ integrâ & perfectâ ante lapsum communicatâ. Ejusmodi corruptæ naturæ ut suppetias

tias ferret benignissimus Jehovah, quò posset ad amissam notitiam propius accedere, essentiam suam & voluntatem voce ac testimoniis singularibus aliquibus aperuit hominibus annexo mandato, ut toti humano generi hanc voluntatem atq; essentiam revelarent. Hinc Theologia revelationis dividitur in *naturalem*, quæ toti naturæ humanæ insita, unde & universalis dicitur, & *revelatam* quæ quorundam saltim hominum (puta eam amplectentium eiq; assentientium) hinc particularis. Illa orta ex naturâ; hæc vel immediate à Deo vel mediante scripturâ. De illâ consule scripturam Rom. 1. 18. 19. 20. seqq. Act. 17. 27. seqq. de hac 1. Cor. 13. 14. Deniq; revelata vel residet in animis proponentium, vel acceptantium, à Spiritu S. illuminatis, tanquam in subjecto sic dicitur *interna*, vel profertur voce vel, inscribitur chartâ, sic dicitur *externa*. *s. systematica*.

3. Ex factâ divisione nonnullæ difficultates profiliunt, quas inexaminate non relinquemus. Quarum prima. *An in Deo sit Theologia?* vel (quod idem) *an detur Theologia à Deo? & quomodo sit in Deo?* In priori parte difficultatem movet (α) Quod tautologicum videatur dicere in Deo esse theologiam vel sui ipsius cognitionem. Nam quicquid in Deo est, ipse Deus est & sic illa ipsa cognitio quoq; quam Deus de se ipso habet est ipse Deus. Ergo Theologiam esse in Deo, consonat dicere, Deum esse in Deo, quæ locutio tautologica est (β) Definitionis jam datæ genus, quando scilicet Theologiam *à Deo* per sapientiam definimus, at cum sapientia sit habitus judicandi de rebus per causas vide Philof. lib. 6. Ethic. c. 6. adeoq; cognitio discursiva, ad quam plures requiratur actus & sic imperfectionis quid involvat, in Deum perfectissimum cadere non potest definitionis genus & sic per consequens nec ipsum definitum, scil: Theologia (γ) cognitionis hujus Dei de seipso objectum. Nam quævis cognitio sibi præsupponit objectum, jam Theologiæ objectum non posse aliud esse quam ipsum Deum ratio evincit, & cognitionem aut rem cognoscentem se ipsam habere pro objecto & quidem primario est extra intellectum. Impossibile enim est, ait Thomas pr: sec. q. 1. art. 1. ad 2. quod ipsum visibile sit ipsum primum videre, quia omne videre est alicujus objecti visibile, & porro: non posse fieri, ut primum

amabile sit ipse amor. Sed hæc & similia minime Deum sui ipsius
inscium reddent, nostramq; mentem ab affirmativâ thesews aver-
tent, siquidem eam tenendam ipsus Deus in verbo revelato nobis
dicat, & ratio suadet. Scriptura, cognitionem Dei quam de
seipso suâq; divinitate & omnibus rebus creatis juxta eum earum
accidentibus in se habet, testatur 1. Cor. 2. 11. *ὁ θεὸς οὐδὲν ἴδεν*
ἐμμετρίως πνεύματι & *θεὸς* h. e. ipse Deus. Conferantur v. 10. & 16. Sic
Deus est immensæ sapientiæ Rom. 11. 33. 34. Col. 2. 2. Sic Esa. 40. 28.
חֵקֶר לֹא חֵקֶר לַיהוָה non est pervestigatio prudentiæ ejus h. e. pru-
dentissimus est. Ratio hanc cognitionem affirmat. Nam r. is qui
alieno quid communicat, necessariò id quod communicat, habeat
oportet, juxta id: Quod quis non habet (puta neq; formaliter,
neq; virtualiter, neq; eminenter) alteri dare non potest. Ergò &
Deus de seipso scientiam habeat oportet, & in se de omnibus re-
bus, quam scriptura creaturis eum communicare probat Psal. 94.
v. 10. 105. v. 22. Job. 35. 11. &c. 2. Deum esse cognoscibilem non
facile quis negabit, atq; Deus maximè & necessariò cognoscit id,
quicquid cognoscibile est, ad hoc enim necessarii sunt actus Divini
vide Mendoz. de anim. disp. 15. sect 2. §. 7. Ergò & seipsum. Con-
sensum Patris Augustini videmus lib 8. de Civit. Dei c. 1. quando
approbat *ἡ θεολογία* & *ἡ ἐπιστήμη* divisionem hæc voce: Theologia
aut sermonem Dei ipsius aut de divinitate sermonem aut rationem
significat. Commemorata ergò, restabit, ut solvamus obstacula.
Dicimus ergò ad (1) Nos non diffiteri sapientiam illam *ἡ θεολογία*
esse ipsum essentialiter DEUM nec quandam distinctionem (sicut
nec cœtera Dei attributa) in Deo efficere, at intellectus noster dum
circa Deum ejusq; attributa versatur, conceptus alios format de
attributis & alios de ipso Deo, quæ tamen diversitas conceptuum
intellectus non introducit diversitatem realem attributorum di-
vinorum ab ipso Deo, sed potiùs horum beneficio potest quid esse
in Deo diversum & à Deo, quod tamen rei ipsa idem est, cum DEO
& ipse Deus. Et hoc modo Theologia ratione conceptuum intel-
lectus nostri est quid diversum à Deo, quæ tamen rei ipsa idem es-
sentialiter Deus est, adeoq; nihil Tautologiæ habet dicere, Theo-
logiam esse in Deo. Ad (2) dicimus: aliam esse sapientiam Divi-
nam

nam in Deo, aliam sapientiam divinam in hominibus, & aliam me-
re humanam, quæ non sunt confundendæ. Hæc ob accumula-
tionem actuum causarumq; per quas fit, exindeq; fluentem imper-
fectionem, alienissima est à perfectissimo Deo. Et hujus est su-
prà data definitio Philosophi. Ista quatenus talis h. e. quatenus est
in hominibus, cum ab alio scil. Deo (unde divina dicitur) tanquam
causâ dependet, non est in Deo, qui, ob summam suam perfectio-
nem ad sui & aliarum rerum cognitionem, non eget causâ. Illa
verò cum est perfectio absq; discursu, adeoq; non fit per prædis-
positiones atq; causas, sed per ipsammet Dei essentiam, neq; fit
actibus aliquot successivis sed actu simplicissimo & instantissimo,
modoq; perfectissimo & purissimo, ut sic non impediatur perfecti-
oni, maximè est in Deo. ad (3) respondemus: In actibus seu
in relectionibus creatis, cum hæ sint aliquo modo effectæ vel cau-
sata ab ipsis objectis, ita semper accidere ut ab objectis ex rei natu-
rà distinguantur: ad hæc actus creatus non est ita immaterialis &
purus, ut possit secundum se totum esse reflexivus in seipsum, oportet
ergò ut sit motus directè tendens in aliquem terminum à se di-
stinctum, at scientia increata divina cum nec effecta nec causata
sit, sed per se primò & ex se talis, immaterialis ac purissima, seipsâ
est contenta & sufficiens sub omni ratione tam formali quàm ob-
jectivâ & sic eminentissimo modo est simul directa & reflexa. De-
niq; & hæc scientia prima & perfectissima, adeoq; ob summam su-
am perfectionem non potest ignorata esse ab ipso sciente, quia ille
perfectè scit, qui scit se scire & dum prima est, non potest esse sci-
ta per aliam scientiam, quia alias, illa etiam esset scita per
aliam & sic procederetur in infinitum. Est ergò scientia Dei sibi
ipsi primarium & proprium objectum.

4. De modo quo Deus seipsum cognoscit (quæ altera addu-
bitationis citata pars) non nihil cognosci potest ex respons. ad obj.
i. quod scilicet, ita se cognoscat ut cognitio non sit diversa ab ejus
essentiâ: vel intelligere in Deo & esse idem sunt, ut dicit Thomas
i. part. q. 14. art. 1. ad 1. & artic. 4. & seq. De aliis modis solliciti
sunt Scholastici & i. *An Deus seipsum cognoscat comprehensivè h. e.*
an Deus cognoscendo seipsum, cognoscat omnia distinctè qua formaliter

Eminenter in se continentur? Affirm: quia scientia Dei de se est infinita perfectionis. Vazquez negare videtur, quando disp. 60. c. 2. docet: Deum non cognoscere creaturas in seipso tanq. in objecto formali; cum tamen comprehensio significat cognitionem omnium effectuum ex vi causae cognitae, juxta omnes Philosophos. Opinatur enim nullam creaturam posse videri in Deo tanquam objecto formali, ait autem Deum cognoscere omnes creaturas in seipso tanquam in ratione formali cognoscendi, i. e. essentiam divinam esse cognitionem seu rationem formalem qua creaturae denominantur cognitae. Resp. Hoc non refertur comprehensionis, quia comprehensio ita debet penetrare causam, ut illa et causa sit objectum primum, ducens in cognitionem suorum effectuum, ita ut effectus in cognitione dependeat a causa: quod si non sit hujusmodi dependentia, cognitio causae & effectus erunt tantum concomitantes i. e. neutra ab altera dependens & hoc non sufficit ad comprehensionem, etiam in sententia ipsius Vasqui illa disp. 53. num. 17. sed necessarium esse ipse testatur, ut cognitio objecti secundarii feratur in illud, ex eo quod sit cognitio objecti primi. Hoc autem esse non potest nisi in ipso primario objecto tanquam in objecto formali cognoscatur secundarium & materiale. 2.

An per aliquam speciem Deus seipsum cognoscatur? Resp. Intellectus creatus atque finitus quicquid scit, per speciem vel expressam vel impressam scit, at Deus cum seipsum, ut & alia per suam ipsius essentiam perfectissimo actu sciat, per speciem ipsum scire maxime negamus. Deinde species ad hoc solum ponitur ut objectum uniatur potentiae per modum actus primi, atq; in Deo non est potentia cui objectum uniatur potentiae per modum actus primi. Ergo in DEO non est species intelligibilis. Major Philosophis cunctis proba. Minor probatur: nam potentia talis cui objectum uniatur per modum actus primi, includit carentiam ultimae perfectionis & consequenter mutabilitatem & alias imperfectiones, quae in Deo non reperiuntur. Scientia vero Deum de seipso tum de aliis in eo est saltem per modum puri & ultimi, non primi, actus. Exinde porro colligitur non esse in Deo sui ipsius cognitionem per modum habitus.

5. Secur.

5. Secunda difficultas est circa Theologiam ἐκλύων unionis. An nimirum Theologia ἐκλύων in Christo ut homine sit ipsa ἀρχέτυπον & an verò alia ab hac? Hic respondemus: duplicis naturæ in Christo status diversitatem Theologia ἀρχέτυπος ab ἐκλύων introducitur. Nam secundum divinam naturam Christus habet Theologiam ἀρχέτυπον vel est ipsa sapientia divina essentialiter, eaq; κατ' οὐνοθυμίαν in est humanitati Jesu Christi personaliter, siquidem, cum nihil divinitatis ex hypostaticâ unione amisit Christus, quoq; cum Patre retinuit hanc Theologiam. Secundum verò humanam naturam Christus Θεάνθρωπος habet hanc Theologiam unionis & actu personali, ut ἀρχέτυπον, & actu naturali, ut ἐκλύων: illa ex hypostaticâ cum divinitate unione humanitati communicata est; Hæc illi habitualis & naturalis est: quare hanc secundum incrementum actus naturalis & habitualis crevisse legitur Luc. 2. v. 52. Hanc autem Theologiam ἐκλύων non posse inesse Christi divinæ naturæ, patet, quia hæc est expressio sapientiæ divinæ, at natura divina non potest ad divinam sapientiam exprimi, est enim ipsa essentialis essentia divina. Huic nostræ assertioni invisos reperimus. 1. Apollinaristas, fingentes in humanâ Christi naturâ loco animæ rationalis fuisse divinam naturam. Sicuti ergò in animâ rationali nostrâ est intellectus & cognitio sic & in Christi naturâ divinâ cognitionem & quidem unicam esse, quæ non alia esse posset quàm ἀρχέτυπον. Sed sicut primum blasphemum & falsum est, sic quoq; minimè posteriori & consequenti fidimus. Deinde Arrianos, qui omnia Christo in tempore data, divinitati ejus tribuunt. Ergò & Theologiam ἐκλύων quæ sic eadem esset cum ἀρχέτυπον. Sed hic contradicimus: Omnia nempe Christo data in tempore (non secundum Deitatem sed) secundum humanitatem ei data esse, quia divinitati nihil quicquam potest dari vel addi. Est enim perfectissima & nullius indiga vide Syr. 42. v. 22. Jac. 1. 17. Obicient fortè Arriani (N) Si ἐκλύων in Christo Θεάνθρωπος est quid diversum ab ἀρχέτυπον, sequitur quod aliquid sit in Christo, quod non sit ἀρχέτυπον: Si hoc, porrò argumentabuntur: Quoddam quod est Christi Θεάνθρωπος non est ἀρχέτυπον, atq; omne quod est Christi

Christi *θεῶν θρώπων* est vera & essentialis deitas. Ergò vera & essentialis deitas non est *αρχεῖλον*. Major clara est ex antefactâ consequentiâ, conclusio est contradictoria. Resp. Minorem esse apertissimè falsam, nam humanitas est Christi *θεῶν θρώπων*, & tamen non est vera & essentialis Deitas. Objicient (□) Filium Dei dici characterem τὸ ὑποδείκναι καὶ ἀπαύρασμα τὸ δόξης ἔμμετος. Ebr. 1.3. Ergò non est imago sapientiæ divinæ. Resp. Filius Dei & est imago ipsius Patris adeoq; & sapientiæ divinæ, & simul est ipsa essentia Patris, adeoq; & ipsa essentia divina. Nam divina essentia consistit in impartibili: Patitur autem diversa quandoq; prædicata ob diversas personalitates, v. c. Essentia divina (Filius Dei) est ipsa essentia Patris, & : Essentia divina (Filius Dei) est imago Patris essentia. Habes hic prædicata diversa è diversis personalitatibus orta, quod enim subjectum propositionis prioris hoc tale prædicatum admittit, causa est impartibilitas essentiæ divinæ; quod subjectum posterioris diversum quoddam, causa est personalitas filii. His annumerandi sunt Calviniani, qui eis ratione scientiæ suæ dexteram præbent, eamq; soli divinitati Christi adscribunt.

6. De modo, quo Theologia *ἐκλύθη* fuerit in Christo ut homine, in præcedentibus actum, quod scilicet in eo fuerit actu naturali, habitualiter & quidem incremento quod postremum pugnat (ut diximus th. 2.) cum Scholasticis, qui sicuti omnia dona habitualia fuisse in Christo homine copiâ, numero & gradibus à primo statim momento unionis, absoluta & perfecta: sic talem & fuisse sapientiam seu Theologiam in Christo, statuunt. De quibus vide Loc. Theol. D. Chemnitii de duab. nat in Christo c. 20. & Selnecc. Exam. Theol. part. 2. p. 318.

7. Tertiam difficultatem movet Theologia viatorum. *An scilicet aliqui homines in viâ (viatores) habuerint Theologiam ἐκλύθη (non revelationis sed etiam) intuitionis essentiæ divinæ?* Societatis Pontificiæ nonnulli addicti præsertim Cappucini fratres affirmativam tenere non erubescunt, dum scilicet Mariæ & aliis Sanctis in hac vitâ claram essentiæ divinæ visionem tribuere. Quibus jure opponimus hoc: Quod nullus imperfectus atque peccatorum labe infectus in hac vitæ viâ unquam potuerit vel modò possit habere claram

claram visionem ac perfectam essentia divina cognitionem; atq; omnis in via hac versans est peccatorum labe infectus sicq; imperfectus, vide 1. Reg. 8. 46. 2. Paral. 6. 36. Eccles. 7. 21. Rom. 3. 23. etiam sanctissimi, Job 15. 15. & ipsa Maria *θεοτόκος*, Luc. 2. 48. 49. Joh. 2. 3. Ergo! Deinde, omnis cognitio humana in hac vita incipit a sensu & pendet a Phantasmatis. Atq; Essentia divina est supra omnia sensibilia & supra omnia phantasmata, Ergo ejus non est clara ac perfecta cognitio ac visio in intellectu imperfecto & creato. Denique scriptura Pontificiorum sententiam dissvadet multis locis Exod. 33. 2. 1. Tim. 6. 16. Joh. 1. 16. 1. Joh. 4. 22. & aliis. Opponent forte. Aliquos Vet. Testam. sanctos aperte falsos esse, se Deum vidisse a facie ad faciem, ut Jacobum Genes. 32. 30. oculis suis vidisse eum, ut Esaiam c. 6. 5. suae Prophetiae, & Jobum c. 42. 5. & locutos fuisse cum Deo a facie ad faciem, ut Mosen Exod. 33. 11. Resp. Faciem Dei hinc locis supponi (non pro ipsa Dei essentia, sed) externo praesentiae divinae specialis signo, sub quo multoties apparuisse Deum legitur in sacris. Et sic, hisce dictis sanctis Deum apparuisse & cum illis locutum fuisse, maxime credimus. Deinde opponent. Paulum 1. Cor. 9. 24. quemq; hortari sic currere ut *comprehendat θεοθεον* h. e. Deum. Ergo Deus potest hac in vita comprehendi a nobis. Si hoc, essentia Dei in hac vita a nobis perfecte & clare intueri potest. Nam cognitio comprehensiva rei nihil aliud est, quam qua res eo modo, sicut perfectissime est, cognoscitur. Resp. Paulum quemq; monere ita in via cursum, ut postea mediante hoc & expleto cursu in Patria (non via) fruisce possit intuitiva ac clara de Deo cognitione, quae cognitio *lato modo* vocatur comprehensio, docente Vasquez c. 4. disp. 53. ast comprehensiva illa cognitione in objectione definita non posse Deum comprehendi, adeoq; nec clare in hac vita videri, docent Philosophi & Theologi, vide Svarez disp. 30. tom. 2. Sect. 12. n. 1. 2. seqq.

8. Addit Vasquius intuitionem Dei in Patria *lato modo* dici comprehensionem, ne existimemus, caelites contemplativa cognitione proprie sic dicta intueri seu cognoscere Deum posse (quae posset in data Theologiae circa *ἐκλυσις* intuitionis caelitem divisione, quarta esse difficultas) Nam caelitem virtus atq; notitia est fini-

B

ta,

ta, Ergo hi non poterunt omnia attributa divina, quæ infinita perfectionis sunt, horumq; modos omnes, quibus participari possunt à creaturis, perfecte & distinctè concipere, neq; sic consequenter comprehensivè cognoscere Deum, neq; quidem habitualiter. vide Mendozam disput: 10. de anim. sect. 4. n. 41. p. 149.

9. Hæc eadem finitas in essentiâ & sic in virtute atq; operatione, quæ cœlitum intuitioni comprehensivæ impedimento est, est & Angelorum intuitioni tali impedimento, nam illorum cognitio non est futuri diei judicialis Matth: 24. 36. ad hæc eorum cognitio est à Deo Dan. 9. 23. & per experientiam, vide Ephes. 3. 10. Quæres: *Quomodo ergo cognitio intuitiva tum Angelorum tum beatorum differt à cognitione in hæc vitâ, cum eaq; illa ac hæc sit finita & imperfecta?* Resp. Licet infinita sit lux & gloria & à finitâ naturâ vel angelica vel humanâ comprehēdi non possit, attamen, cum ubiq; tota sit & perfecta, ab Angelis & beatis ita conspicitur tota scilicet & perfecta, non ad partem (ut in viâ) sed eo modo, qui proprius est, non temporis, non loci, aut intervalli, sed æternitatis carentis tempore & intervallo locorum Physicorum, quem modum nemo hominum in hæc vitâ intelligit.

10. Nota: Apprehensivâ tamen seu distinctâ cognitione, quæ orta est non ex principio naturali, sed gratiæ, cognoscere posse beatos cœlites Deum, affirmamus contra Calvinianos & Photinianos ex 1. Cor. 13. 12.

11. Porrò circa Theologiam intuitionis Angelorum quinta difficultas esse potest: *An scilicet hæc reddat Angelos proprietatum divinarum participes?* Affirmativa Pontificiis arridet, quò firmare possint hypothesin suam, quod nimirum Angeli norint hominum cogitata & facta. Sic enim inquit Jesuita Drexelius in Horol. Sagacissimis spiritibus facile est assequi quid clausum est in animo. Nihil penitus observant in Deo certè rerum omnium obstupescendo speculo vident omnia, ea præsertim, quæ ad sui clientis curam pertinent. Sed sicuti hypothesin eorum falsam habemus, sic & negamus thesin propositam & Drexelii pronunciatum. Nam plurima confectaria absurda ex concessâ thesi emergerent: Angeli enim Deum intuentur omniſcium intuitione beatificâ, Ergò Angeli

geli sunt omniscii, Absurdum! Intuentur virtutem creatricem & omnipotentiam, ergo sunt creatores omnipotentes omnipotentis creatoris, ineptiæ! Sic Lucifer ante lapsum in Deo vidisset lapsum consequentia, æternum scilicet carcerem, quem eum prævidisse non credimus, quia sic honorem Dei invidiosè non affectasset.

12. Sexta difficultas est circa Theologiam ex *יומיו* revelationis naturalem. *An scilicet hæc detur?* Affirmationem hic maxime displicere videmus Photinianis, Socinianis & Flacianis citra tamen scripturæ astipulationem, quæ ad affirmationem nos cogit, præter supracitata, in plurimis locis, ut Pl. 97. 6. Pl. 19. 2. Sap. 13. 1. 2. 3. seqq. Syr. 43. 1. Objiciunt eam negantes (α) Paulum in suprà alligato loco ex Epist. ad Rom. 1. ita Gentibus tribuere *γινώσκοντες θεόν*, ut v. 21. subjiciat, eas vanas factas esse in ratiociniis suis. Resp. Nulla est consequentia: Gentes vanæ factæ sunt in ratiociniis suis, Ergò non habent cognitionem naturalem Dei. Nam utrumq; consistere potest, & habere cognitionem Dei, & ratiocinia vana. Hæc autem ratiocinia vana non permiserunt *τὸ γινώσκοντες θεόν* efficax esse, quò alioquin tanquam naturali potentiâ in ulteriorem cognitionem Dei demigrare potuissent. Obj. (β) Gentes ignorare Deum 1. Theos. 4. 5. Resp. Notitiâ supernaturali seu speciali, concedimus, non sequitur. Ergò & notitiâ naturali seu universali. Nam nulla gens tam fera est, ipse Ethnicus Cicero inquit lib. 1. de nat. Deor. quæ non, etiam si ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum, sciat. Regerunt. Si novissent non negassent Deum, sed eas negasse Deum, videre est ex Cicerone lib. 1. de nat. Deor. Lactantio lib. 1. c. 3. & August. lib. 3. contr. lit. petit. c. 21. & ex scripturâ Pl. 14. 1. Resp. Abnegatio hæc Dei est saltim aliquorum eorum scilicet, quorum vel corda durissimo contumaciæ & nequitia: callo obducta sunt, ut sic eum cognoscere non velint, vel, quorum mens à sanâ ratione sic exorbitavit, & quorum ingenium atq; iudicium tantò emarcuit, ut eum nosse non possint, quòd posterius indicare videtur Psal. 14. 1. Textus est *אמר נבל בבל בלב און אלתי* dicit stultus (h. e. talis qui statim ob immarcescens iudicium & aridum ingenium concidit, est enim *נבל* à Radice *נבל* quod significat

eat ob languorem & ariditatem concidit) in corde suo: non est
 Deus: & ejusmodi נבלים etiam inter Christianos inveniuntur, qui-
 bus tamen non deneganda notitia Dei, sed potius renovato judicio
 eos ad notitiam naturalem redire, dicendum: Et hoc idem habend-
 dum de Gentilibus נבלים. Posito autem, quòd Davidi res sit de
 abnegatione Dei quæ verbis aut factis fit, (à quâ nec omnes Chri-
 stiani alieni sunt) non tamen sequitur: Ergo Deum etiam infici-
 antur corde & conscientia, nam sic fateri eum possunt. Obj.
 (γ) Intellectus hominis est *על דעתו* vel ut Syrus בעלר בבורה
 נלה לות אלה inimicitia vel ipsum odii dominium adversus Deum
 Rom. 8. 7. Resp. Inimicitia hominis nil impendit notitiæ DEI,
 nam hæc cum illâ stare potest, ut sensus sit: Homo, qui se totum
 carni dedit, nec regi vult Spiritu, inimicissimus est Deo, hinc non
 sequitur: Ergò ab homine abest notitia Dei naturalis, etsi sequa-
 tur: Ergò notitia Dei per carnis desideria vitata est. Obj. (δ)
πιστευομεν δε τω θεω οτι οτι Ebr. 11. 6. Ergò naturâ
 non scimus eum esse. Resp. Non absolum est, conclusionem ex
 duplici principio, altero naturali, altero supernaturali innotesce-
 re, sic nec hîc. Obj. (ε) Naturale est necessarium, atq; notitia de
 Deo non est necessaria Ergo notitia de Deo non est naturalis. Ma-
 jor est principium Philosophicum. Minorem probant, quia noti-
 tia de Deo non est apud omnes homines, quòd affirmari ajunt de
 Indis Brasilianis, quos ne quidem opinionem aliquam, suspicio-
 nem aut sensum de Deo habere scribit Monachus quidam Sabuc-
 cinus. Resp. Limitando majorem h. m. Naturale insitum est ne-
 cessarium: concedimus totum; de acquisito non item. Nam sic
 notitia de Deo non esset naturalis, ut ipsam constituat naturam co-
 gnoscentis vel immediate sequatur, quod est notitiæ naturaliter
 inditæ. Deinde Resp. Naturale est necessarium vel quoad actum
 primum vel secundum: Posthâc negamus minorem. Est enim no-
 titia de Deo necessaria actu primo, & hæc sufficit. Quod de Indis
 Brasilianis refertur à Monacho, fabulam esse ostendit Benzo lib. 1.
 de Indis occidentalib. c. 26. p. 111. Et eos tonitru adorare, & ani-
 marum immortalitatem credere, virtutumq; præmia post vitam
 expe-

expectare, licet exœccatisimî sint, refert Rivetus comment: in
Pſalm. 19. p. m. 80.

13. Deniq; Septima difficultas est circa Theologiam speciali-
ter i. e. per *γεννηθῆναι θεόπνευστον*, revelatam. An nimirum hæc detur?
Resp. Imbecillitas atq; imperfectio Theologiæ naturalis ad obti-
nendum Theologiæ finem, maximè sibi eam adjutricem & quidem
principalem requirunt, cum ad hoc sola non est sufficiens naturalis,
sed necessariò requiritur fides, vide Joh. 3. ult. Contrà tamen sunt
nonnulli, qui sufficientiam hanc soli Theologiæ naturali tribuunt,
adeoq; præter hanc Theologiam, aliam dari non necesse esse, ex-
istimant. Sic Latomus Louaniensis statuit, non aliam fuisse noti-
tiam de Deo in Abrahamo, quàm qualis fuit in Platone, Xenophon-
te, Cicerone & aliis Gentibus. Cinglius scripsit, Deum scripsisse
fidem in cor Senecæ, sine prædicatione Evangelii, hocq; inde pro-
bat, quia Seneca Epist. 34. ait: Sic vivendum est, tanquam in con-
spectu Dei vivamus, sic cogitandum, tanquam aliquis in pectus
possit inspicere. Jacobus Payua, Andradius Lusitanus in Concil.
Trident: scripsit: Veram Dei cognitionem non ex sacris tantum li-
teris, divinisq; oraculis, sed ex rebus etiam iis, quæ sensibus subji-
ciuntur, haberi posse, & hæc cognitione Dei salvos factos esse Phi-
losophos. Andreas Vega Pontificius lib. 6 in Concil. Trident. c. 17.
& 20. arbitratur, cognitionem, quæ ab homine potest haberi de
Deo naturaliter, sufficere posse, ita ut implicita dici possit eorum fi-
des, quæ credenda sunt, aut: Supernaturalè fidem non semper fuisse
necessariam, necessitate non modò præcepti, sed neq; etiam medi.
Franciscus Puccius Filidinus libro *de naturâ & gratiâ erga omnes ho-
mines* docet. Omnes omninò homines esse in statu salutis ante-
quam degenerent, salvariq; gratiâ, non speciali, quæ datur per Sa-
cramenta & prædicationem verbi, sed universali, propter Chri-
stum omnibus & singulis efficaciter concessâ, non tantùm suffici-
enter in singulis hominibus est *ὑπόθεσις*, sive substantia salvifica
fidei, omnes enim naturaliter credimus, Deum esse beneficum
suis cultoribus. Sed misis hisce erroribus firmiter assistimus scri-
pturæ, quæ, præter citata, aliis locis pluribus aliam à naturali po-
scit Theologiam, Sic 1. Corinth. 1. v. 21. legitur. Placuisse DEO

Αὐτὸ δὲ μωρίας τὸ κηρύγμα ἰσοῦ σῶσαι τοὺς πνεύματι. Ubi hæc
 supernaturalis seu revelata Theologia dicitur stultitia in respectu
 ad rationem humanam, quæ ob summa istius *μυστήρια*, sese supe-
 rantia, stultitiam eam vocat vel æstimat. Porro Matth. 11. 26. ipse
 Christus clare distinguit Theologiam revelatam à naturali, & simul
 homines utriusq; participes esse asserit, dum dicit: Gratias ago ti-
 bi Pater, Domine cœli & terræ, quod abscondisti hæc (puta myste-
 ria verbi tui cœlestis, quibus innuitur revelata) à sapientibus &
 prudentibus (hujus seculi, qui saltim ex ratiociniis ac demonstra-
 tionibus ex naturæ lumine quidem tui ac aliarum rerum notitiam
 habent, en naturalis! Sed hæc ipsâ non colunt te debito modo) &
 revelasti ea *νηπίοις*, h. e. humilibus & simplicibus, qui dictis sapien-
 tibus ac prudentibus *νηπίοις* videntur. Huc refer. Joh. 1. 18. 1. Cor. 2.
 v. 14. 15. Objicies: Theologiam naturalem assequi posse finem
 Theologiæ, salutem nempe æternam, quod probatur ex Jac. 1. 21.
 ubi *λόγος ἑμφυῖτος* (sermo insititus) dicitur posse *σῶσαι τὰς ψυ-
 χὰς*; Ergò ratione effectus seu finis non necessariò alia datur Theo-
 logia præter naturalem. Resp. Per *λόγον ἑμφυῖτον* non intelli-
 gi h. l. Theologiam naturalem, sed supernaturalem seu revelatam,
 quæ metaphoricè sic dicitur, quoniam Deus eum virtute spiritus
 sui in hominum cordibus quasi serit & plantat, ut ibi radices agat
 fructusq; DEO gratos proferat. De quâ Metaphorâ verbi divini
 (Theologiæ revelatæ) cum semine insito vide Philol. Salom. Glos.
 lib. 5. tract. 1. c. 11. p. 286. vel 1252.

14. Ad arma hîc nos, dum utrumq; & supernaturalem & na-
 turalem notitiam (quarum illa fidem, hæc scientiâ includit) de Deo
 statuimus, vocari, videmus à nonnullis Philosophis dicentibus:
 fidem & scientiam non posse versari circa idem subjectum. Ergo
 nec posse notitiam supernaturalem simul cum naturali de DEO
 esse, sequitur. Quorum Philos. dux est Thomas sec. 2. quæst. 1. art.
 4. 5. quem sequuntur Capreolus, in 3. di. 25. q. 1. Franc. Murcia in
 cursu Philos. supr. libr. Arist. de post. resol. disp. de scient. & opin.
 q. 9. obj. 5, Cajetanus & alii: Verùm nos horum sententiam pro-
 pugnamus cum Vazquez 1. part. q. 4. n. 3. Gregorio de Valentia, Du-
 rando,

rando, Molinâ & aliis, dicentes cum his: Fidem simul esse posse cum scientiâ circa idem subjectum hâc ratione: quia actus intellectus non opponuntur nisi ratione alicujus contradictionis, vel in ipsis repertæ, vel quæ in objectum refundatur (quia actus intellectus nullam habet contrarietatem; contraria enim possunt esse in gradu remisso, ut patet in habitibus naturalibus, & simul possunt esse de potentiâ in gradu intenso, at verò actus oppositi in nullo gradu possunt simul esse, nec de potentiâ absolutâ, Ergò non sunt contraria) subsumimus: In fide & scientiâ nulla reperitur contradictio, cum sint entia positiva, neq; in objectum refunditur, quia, quod unus actus sit clarus, (ut hîc ratione scientiæ) & alius obscurus (ratione fidei) nihil refundunt in objectum (Deum) sed tantum arguitur imperfectio alterius actus in altero (circa fidem) non reperta: At non repugnat circa idem objectum esse alterum perfectum, alterum imperfectum Ergò. Argumenta contradicentium, horumque simul resolutiones videre licet apud Mendozam disp. 10. de anim. sect. 5. §. 44 45. 53. 54. Objicies: ipsos Theologos concedere, Theologiam naturalem contrariari revelatâ. Ergò constituunt duos actus contrarios in intellectu. Resp. Antecedens concedere Theologos, sed cum distinctione naturæ planè perditæ ac corruptæ à naturâ renovatâ & spiritu ac fide recollustratâ: ratione hujus naturæ Theologia naturalis haud quaquam contrariatur revelatâ seu supernaturali, sed acquiescit gratiæ divinæ revelationis, eiq; sese subjicit, nec repugnat, licet quædam mysteria in revelatâ occurrant, quorum illa capax esse non potest, & dummodo non repugnat, non elicit actus contrarios: ratione illius autem naturæ maximè sibi contrariantur, nam quatenus talis natura mysteria illa Divina planè negat & negligit, & sic caro concupiscit id quod contrariatur Spiritui, vel quasi percutit ac lædit Spiritum. (quod Syræ voces רוח רנכא מרם sonant) & Spiritus concupiscit id, quod contrariatur carni, vel lædit carnem, sic duo illa (puta caro, quâ natura corrupta inauditur) & Spiritus (h. e. revelationes gratiosè à Spiritu S. de Deo factæ) סקופלא אנון contraria sunt Gal. 5. v. 17. Et hoc modo supposita naturalis Theologia cum revelatâ in uno intellectu consistere nequit.

15. Exaggerant Pontificii divisiones Theologiæ nonnunquam tamen mirâ cum confusione, atq; nimîa humanæ rationis confidentiâ, quando aliam Lombardicam, aliam Scholasticam, aliam Monasticam, item Sorbonicam &c. faciunt. Sic, præter Pontificios, alii Theologi dividunt supernaturalem in absolutam & talem secundum quid, quarum divisionum atq; subdivisionum examen impræsentiarum siccò præteribimus pede. Unicam tamen mysticam, cujus mentionem Scholastici faciunt, intactam non relinquemus. Definiunt eam experimentalem cognitionem habitam de Deo per amoris intuitivi, complexum: hæc; definitione fecerunt hanc suam mysticam à revelatâ quam magis speculativam autumant, unde per habitum supernaturaliter cognoscentem, & per scientiam confusam definiunt. Sed dicimus: Cum mysticæ æquè sit principium revelationis, ac revelatæ nullam cognoscimus diversitatem inter mysticam & revelatam. Et hoc ipso corruiit divisio illorum mysticæ ad modum duplicis operationis facta, nempe operationis supernaturalis & naturalis, si enim mystica est quæ naturaliter operandi modum habebit? Corruunt etiam varii ejus status, quos expendunt, status scilicet meditationis, aspirationis, contemplationis, privationis unionis, transformationis &c. Interim tamen omnimodam mysticam non negamus, sed talem agnoscimus, quæ tota est revelata, ut jam diximus. Hactenus de divisionibus & controversiis quæ circa has moveri possent. Ad Theologiæ Synonymiam acceleramus.

16. Retrospectiens nonnulla Theologiæ Synonyma ex dictis colliget, ubi sine differentiâ eam diximus sapientiam, scientiam, notitiam, intuitionem & quæ etiam scriptura suppeditat; & præter hæc multa alia, quæ non cujuslibet Theologiæ Synonyma esse possunt, sed potiùs metienda sunt juxta factam divisionem; Nam aliqua sunt quæ quidem conveniunt Theologiæ *ἄρχετύπω*, quæ tamen aliter consideranda sunt, quando ea etiam revelatæ accommodare volumus. Sic *חכמה* (*Νοσθη σοφία*) dum præter sapientiam divinam revelatam alia adhuc connotat mysteria profunditatis sapientiæ divinæ *κεκρυμμένα* & non revelata vide Rom. II. 33, Synonymon est Theologiæ *ἄρχετύπω*; ast dum solummodò signifi-

gnificat mysteria sapientiæ divinæ revelata, adeoque hominibus
 communicatur à Deo vide Jac. 1.5. c. 3.17. respondet revelatæ. Sic
 ὡς θεὸς vel notat sapientiam Divinam infinitam, & sic correspon-
 det ἀρχαῖς; vel sapientiam divinam ad salutem nostram reve-
 latam, sic respondet supernaturali. De utrâq; acceptione vide
 1. Cor. 2. 16. ubi ὡς κρυπτός (quo insinuat infinite Dei sapientia)
 neminem nosse, ὡς autem ἀρυστός (h. e. revelatam de Christo vel
 per Christum) habere Paulum cum suis Corinthiis, dicitur. Sic
 סור יהוה, quatenus ei nullus unquam astitit & רבר יהוה quate-
 nus illum nunquam ullus audivit Jerem. 23. 18. Consonant Theo-
 logiæ in se; quatenus verò ille סור יהוה est ליראיו timentibus
 ipsum Ps. 25. 14. & רבר est lucerna pedum hominum & lux viarum suarum
 Ps. 119. 105, revelatæ, quorum posteriori æquivalet vox Syra מרתה
 cujus Synonymiæ distinctione loca præbet 1. Pet. 1. 25. & Epist. Jud. 17.
 Idem iudicium fit de רבנות prudentiæ ac intelligentiæ conf. Prov. 8.
 14. & c. 1. 2. Ps. 119. 169. Luc. 16. 8. & c. De רעה γνώσις, scientiæ seu
 notitiæ 1. Sam. 2. 3. Ps. 94. 10. Prov. 3. 20. 1. Johan. 3. 20. & Prov. 1. 2.
 2. Petr. 3. 18. de ἑλεῖς concilio Actor. 20. 31. & Rom. 11. 34. de צדק
 δικαιοσύνης, justitiæ Dei, de אמת veritate & cæteris multoties in
 sacro codice occurrentibus. Aliqua tamen commodius revela-
 tæ applicantur, licet etiam suo modo ἀρχαῖς applicari possint,
 ut γραφή scriptura Act. 8. 32. Rom. 4. 3. Joh. 7. 34. conf. 2. Tim.
 3. 16. ubi dicitur γραφή θεόπνευστος vel ut Syrus כתב רכרוח
 התכתב scriptura à Spiritu scripta. Sic γραμματα ἱερα sacra litera,
 vel ut Syrus סכרא קרשא libri sacri 2. Tim. 3. 15. Sic קריאה (κλήρυμα
 prædicatio) Jon. 3. 2. 1. Cor. 1. 21. תורה Lex Esa. 2. 3. Ps. 19. 8. Matth. 5. 18.
 ספר βιβλίον Ps. 40. 8. Ebr. 10. 7. Joh. 20. 30. (quæ vox etiam Theo-
 logiæ in se respondet, vide Ps. 139. 16.) & cum addito ספר הברית
 2. Reg. 23. 21. & simpliciter vox ברית Psal. 25. 14. Græcè Διαθήκη
 Ebr. 9. 15. חקי אלהיה Exod. 18. 16. Deut. 4. 40. פקודי יהוה man-
 data Domini Ps. 119. 9. Ps. 119. 7. Ps. 119. 4. & c. παράδοσις traditio
 1. Cor. 11. 2. quam Syrus per פקודי præceptum exprimit. קו lineam
 C (quam

(quam Paulus per *φθόγγον* Rom. 10. 18. explicat) Pf. 19. 5. Hinc Patres Theologiam revelatam *καθόνα* appellarunt ut Irenæus lib. 4. c. 69. Chrysoft. homil. 13. in 2. Cor. Basil. in Epistolâ ad Eustat. Medicum. Sic *διδασκαλία* doctrina, *εὐαγγέλιον* &c.

17. Nota: Aliqua ex his Theologiæ revelatæ synonymis convenire illi subjective consideratæ, prout est in mente hominum, aliqua verò directivè seu systematicè consideratæ, ut est in voce vel literis.

18. Quæritur: *An θεοσέβεια sit Synonymum Theologiæ revelatæ?* Negatur: Nam hæc verum de Deo sensum, illa pium erga Deum cultum; hæc Theoriam, illa praxin denotat. Dices: Theologiam revelatam esse æq; practicam atq; Theoreticam, quia non nudâ absolvitur notitiâ, Matth. 7. 21. 22. seqq. Luc. 6. 46. Deinde Theologia est doctrina καὶ ὁσέβειαν 1. Tim. 6. 3. Tit. 1. 1. Resp. Non sequitur: Ergo θεοσέβεια quæ solam praxin requirit est Theologiæ revelatæ Synonymon. Iniquum fatemur esse, si Theologiæ, ut est doctrina, cuilibet christiano ad assequendam salutem scitu necessaria, praxin denegâremus; hanc n. juxta theoriam requirit, & h. m. utiq; est & practica & simul theoretica (quod assertum est contra Scholasticos & Keckermannum lib. 1. System. Theol. p. 10.) aliter autem Theologia se habet, ut est habitus θεός δόσις, in animis hominum insitus, sic enim non necessariò requirit praxin. Instas. Prudentiam requirere solam praxin, solumq; esse habitum practicum & tamen hanc agnoscimus Theologiæ Synonymon. Ergò quoddam quod solam praxin requirit, potest esse Synonymon Theologiæ. Resp. Prudentia, ut est habitus Philosophicus, solam quidem requirere praxin, sed hanc talem nunquam Theologiæ Synonymam dicemus, sic enim in eundem cum Keckermanno errorem incideremus. Sed dum prudentiam Theologiæ Synonymon dicimus, intelligimus prudentiam filiorum lucis (de qua Luc. 16. v. 8.) diversam à Philosophicâ & hujus mundi prudentiâ.

19. Observandum hic venit: Quando in Synonymiâ Theologiæ aliquibus terminis vel vocibus utimur, eas nos non velut Philo-

Philosophicæ sunt, significari velle, ut enim sunt Philosophici habitus, industriâ humanâ acquiruntur, & ex naturâ, seu ratione oriuntur. Theologia verò speciali Spiritus gratiâ addiscitur & ex divinâ revelatione provenit, teste scripturâ Joh. 6. 44. 45. 2. Cor. 3. 5. 4. 6. 1. Cor. 2. 10. 11. 12. Scholasticis tamen (qui miro modo semper Theologiam cum Philosophiâ miscent) terminos aliquos ut Philosophicè considerantur, retinere placet, ita tamen ut maximè circa eos discrepent. Thomas Aquinas cum suis asseclis dicit Theologiam scientiam Philosophicè contemplatam. Scotus, Junius, Polanus & alii eam dicunt sapientiam, qui cuncti ad defendendam suam sententiam, argumenta Philosophica Philosophicèque resolvenda, adducunt, quæ tangere modo non placet. Interim videri possunt aliqua in System. Theol. Brochman. Tom. 1. c. 2. q. 1.

20. Theologiæ Sanctorum cœlitum synonyma sunt, visio à facie ad faciem 1. Cor. 13. 12. visio per lumen gloriæ (apud Scholasticos) sic simpliciter visio ^{visio} (quâ Hiob. c. 19. 26. se visurum dicit Deum) *ὁρασις* 2. Cor. 12. 1. Conf. Matth. 5. 8. 1. Joh. 3. 2. cognitio perfecta, cognitio intuitiva, intuitio, contemplatio, lato modo ut supra th. 8. comprehensio, cognitio æterna &c.

DE PRINCIPIO THEOLOGIÆ.

I.

Theologiæ principium aggredientes, manifestabimus Primò quale præprimis hîc intendamus principium. Nam duplex est principium, ut constat, alterum essendi seu incomplexum, alterum cognoscendi seu complexum. Hoc, est unum vel alterum aliquod effatum seu pronunciatum, ex cujus manifestâ & constante veritate dependet cœterarum omnium propositionum, quæ in tali scientiâ traduntur, veritas. Ejusmodi autem effatorum cum multa in Theologiâ reperiantur, adeoq; tale ejus principium multiplex sit, ejus investigationem atq; tractationem jam præteribimus. Illud, est primum veluti elementum & initium, ex quo fiunt vel constant omnes res, de quibus instituitur vel est scientia. Hoc per tractandum assumemus.

C 1

2. De.

2. Deinde videndum cuinam Theologiæ speciei hocce principium conveniat, cui minùs. Nam omni Theologiæ speciei hoc principium tribuere, periculosissimú est, & aliter probat Theologia $\alpha\epsilon\chi\epsilon\tau\upsilon\pi\omega$, quæ sicuti est ipsa æterna, infinita & immutabilis essentia divina, non præmittit aliquod initium, ex quo ea oriatur ad- eoque nec particeps est hujus principii: $\epsilon\kappa\lambda\upsilon\pi\epsilon$ ergo & quidem revelatæ principium investigabimus.

3. Tertiò. Principium incomplexum Theologiæ $\epsilon\kappa\lambda\upsilon\pi\epsilon$ est duplicis generis, unum *fundamentale* hocq; vel universaliter consideratum est ipse essentialis Deus, qui cujuslibet Theologiæ & unionis, & intuitionis & revelationis primo-primum est principium; vel specialiter, quod est Christus Dominus, qui est $\kappa\epsilon\chi\epsilon\tau\upsilon\pi\omega$ & $\mu\omega\tau\epsilon\mu\omega\tau\epsilon$ Esa. 28.16. h.e: fundamentum solidum, firmum atque immotum (quam emphesin vocum repetitio indicat) & $\lambda\iota\theta\omega$ $\xi\omega\upsilon$. 1.Petr.2.4. $\kappa\alpha\iota$ $\alpha\pi\epsilon\sigma\tau\upsilon\gamma\iota\alpha\iota$ γ .6. Conf. Eph. 2.20. & $\theta\epsilon\mu\epsilon\lambda\omega\varsigma$ 1. Corinth. 3.11. supra quem omnis tùm militans in hac de terrâ, ejusq; doctrina de Deo, tùm triumphans in cœlo, Ecclesia fundata atq; firmata est. Nota: Hæreticè ac blasphemè in principium Theologiæ fundamentale impingunt Manes & Manichæus cum affeclis suis, dum duo contraria Theol. principia statuunt; alterum bonum scilicet Deum bonum (qui N. T. principium juxta illos est); alterum malum scilicet Deum malum (qui V. Test. principium est): alterum est *directivum* juxta quod omnis scientia seu doctrina de Deo & fides nostra mensuranda, examinanda, conformanda, judicanda atq; dirigenda. Et hoc unicum saltem profiteamur esse verbum Dei per Prophetas in veteri & Apostolos in novo testamento revelatum.

4. Circa hoc controvertentium & errantium catervam cum consideramus, invenimus magnam dissonantiam inter illos. Alii enim planè non agnoscunt sed rejiciunt nostrum principium; alii ei quid superaddunt, sicq; in excessu peccant; alii verò ab eo aliquid detrahunt, sicq; in defectu peccant. Horum sententiam discrepantem antequam aggrediamur, nostram priùs confirmabimus thesin.

5. Di-

5. Dicimus ergo (α) Verbum Dei scriptis prophetarum & Apostolorum comprehensum esse principium Theologiæ revelatæ, quia omnis scientia de essentiâ atq; voluntate Dei ad salutem hæcce scientiâ consequendam necessaria in illa continetur, atque sic ex illo haurienda & deducenda. vide scripturam Joh. 14. 26. Joh. 16. 13. Actor. 20. 27. Joh. 5. 39. c. 20. 31. 2. Tim. 3. 16. 17. Luc. 16. 29. Gal. 1. 8. 9. Irenæus inquit: Verbum Dei ideo voluntate Dei traditum esse, ut sit fundamentum & columna fidei nostræ.

6. Dicimus (β) Non solum verbum Dei per Prophetas h. e. Veteris Testamenti, sed etiam simul per Apostolos scriptum, h. e. novi Testamenti, esse principium Theologiæ revelatæ. Nam hæc duo testamenta tantum duo dicuntur ratione circumstantiarum, quæ tamen res una, non diversa, sunt, quia novum veteris adimpletio est, & in utroq; idem testator Christus, dicente Lactantio lib. 4. de verâ sapientiâ c. 20.

7. Dicimus (γ) Verbum Dei quâ tale solitarium & unicum esse Theologiæ principium. Habet se enim hoc verbum ad res de voluntate & essentiâ divinâ scitu credituq; necessarias, ut se habet norma ad normandum, uni autem normando una sufficit norma, & impossibile est, ut duæ vel plures normæ afficiant unum normandum. Deinde est totale, quod ex normæ requisitis manifestum. Sit enim norma, oportet, prima, infallibilis, perfecta & normato adæquata & perspicua, quæ requisita cuncta & verbo revelato exactè conveniunt. Deniq; ex scripturâ hanc unitatem atque sufficientiam probare possumus h. m. Norma iudicii futura in extremo iudicio, est etiam norma sufficiens in iudicio ecclesiæ: atque verbum DEI est norma iudicii futura in extremo iudicio Joh. 12. 48. Ergò.

8. Ad errores. Discedunt à dicto primo (α) Turcæ, qui non recipiunt Apostolorum nec Prophetarum scripta, sed Turcicus Mahumetes legem Dei (quæ legem & Evangelium amplectitur) abjicit, & יהוה Jehovah mutavit in יהוה vetusq; & novum testamentum corrigere & tolerabilius reddere voluit, hinc lex Mahumetis Arabibus dicitur אלקוראן quod correctionem significat,

& deniq; novum & vetus testamentum dissectuit atq; dissipavit, hinc Alcoranus inscribitur אלפרקא à radice פרק divisit, quæ habet Christianus Matthias in Theatro suo Historico-Theoretico practico lib. 4. Monarch. p. 12. Unde constat, eorum Theologiæ seu cognitionis de Deo principium, non tam esse verbum Dei, ut est ab Apostolis & Prophetis scriptum, quàm Mahumetis lex atq; Alcoranus. Sed perfectissimam Dei sapientiam sciens homo & simul omnis hominis imperfectionem, hanc meritò sapientiam, quâ DEI verbum corrigere nudam superbiam & insaniam atque delirium habebit.

9. Discedunt à dicto primo (β) Weigeliani, Anabaptistæ, Swenckfeldiani & Libertini, qui etsi apertè Scripturam rejicere non ausi fuerint (cujus causam reddit Andr. Rivetus in Isagog. ad script. sacr. c. 3. §. 1. quia scilicet eam apud Christianos in magnâ auctoritate viderunt constitutam) non tamen hanc agnoverunt suæ de Deo scientiæ principium, sed potiùs hoc dixerunt revelationes, novas, verbum internum (h. e. occultum dictamen conscientiæ animæ & spiritus cujusdam) Angelorum colloquia, Philosophiam cœlestem &c. somnia, quæ magis contrariantur scripturæ quam ex hac probari possent. Sic revelationes novæ post Christi & Apostolorum tempora non fuerunt expectandæ nec expetendæ. Nam Paulus dicit Act. 20. se annunciâsse omne Dei concilium. Porro audire Mosen & Prophetas sufficit Luc. 16. 29. 31. sic nec angelorum colloquia expectanda. Si enim nos aut Angelus è cœlo evangelizaverit vobis, præter id, quod Evangelizavimus vobis, anathema sit. Gal. 1. 8. Et frustra consulitur Philosophia cœlestis in mysteriis divinis. vide. 1. Cor. 2. 11. Col. 2. 8. Verbum deniq; internum cum sit idem quod congenitum naturæ lumen, dicimus id jure Theologiæ naturalis principium, sed etiam simul esse Theologiæ revelatæ dicere est contrà scripturam Rom. 8. 7. 1. Cor. 2. 8. 14. Probare intendunt hoc suum principium ex scripturâ & quidem ex 2. Cor. 3. 6, τὸ γράμμα αποκλείει, τὸ δὲ πνεῦμα ζωοποιεῖ, ubi per γράμμα intelligunt scripturam, per πνεῦμα autem internas revelationes extra scripturam, ad allegorias quas quis excogitare aut fingere voluerit. Sed impiè abutuntur adversarii dicto isto, Antecedentia enim verba ejusdem

dem versus probant per *πνευμα* intelligi doctrinam Evangelii salutiferam, ubi Spiritus & Novum Testamentum sibi correspondere videntur, quando dicitur Deum Apostolos fecisse idoneos ministros Nov: Testam: non literæ sed Spiritus, dicitur a. *Spiritus* hæc doctrina, quia Spiritus S. per illam & vitam in homine spirituales, justitiam & salutem operatur. Per *γραμματα* autem non intelligi totam Scripturam, itidem patet, sed per id intelligitur lex divina non absolutè, sed quæ per literas expressa est tabulis lapideis, quæ cum perfectam obedientiam ab homine requirat, eam verò nusquam ob corruptam carnem inveniat, occidit h.e. maledictionis, condemnationis & æternæ mortis sententiam contra homines pronunciat.

10. Discedunt ab eodem dicto (γ) Calviniani, qui rationem humanam dicunt Theologiæ principium, & illam in mysterio scripturæ normare affirmant, sed his instructionem pollicemur ex locis scripturæ Rom. 8. 7. I. Cor. 1. 23. 24. c. 2. 14. ex quibus dictis liquet mysteria scripturæ planè adversari rationi humanæ post lapsum: Ergò hæc non potest talium mysteriorum norma esse. Norma enim normato non debet nec potest esse contraria. Objiciunt (N) Rationum esse donum Dei, sed addatur consequentia. Ergò sufficit etiam post lapsum ad capiendam atque comprehendendam mysteria divina. Negatur hæc consequentia, nam omnes homines etiam acutissimi, sunt *ἐσθλοισμύρα τῆς ἀνοίας*. Ephes. 4. 18. Objic. (B) Rationem esse Lucem. Resp. in mysteriis divinis. Negatur: in his n. ratio meræ sunt tenebræ I. Cor. 1. 23. Luc. 24. 25 Est verò lux ad capiendam & comprehendendam hujus sæculi sapientiam. Objic. (γ) Judicium discretivum normat. Ratio applicata capitibus fidei est judicium discretivum. Ergò Ratio applicata fidei capitibus normat. Major probatur: quia discretio est actus intellectus mensurans *μετρίων*. Minor itidem probatur: Nam ratio judicat corpus Christi esse glorificatum quando è scripturâ habet, quod scilicet Christus foribus clausis se stiterit discipulis Joh: 20. 19. Sic Moysen fuisse prophetam altissimi præter scripturam & ratio judicat, vel è solo ipsius baculo in serpentem converso. Exod. 4. v. 3.

Resp.

Resp. 1. ad subjectum majoris judicium discretivum absolutum & perfectum normat. Sic negatur minor; quia, demus rationi facilio-
ra fidei principia patescere, negamus tamen, quod abstrusiora et-
iam scripturæ mysteria. 2. ad prædicatum Majoris confusè suppo-
situm: judicium discretivum normat vel norma propriâ, vel com-
municatâ, totum admittimus de hâc non illâ normâ. Hisce Cal-
vinianis hoc in errore astipulantur Sociniani.

II. Recedunt à dicto secundo (1) Judæi rejicientes Apostolo-
rum scripta seu Novum Testamentum, solumq; amplectentes Ve-
tus Testamentum, cui tanquam principium addunt suum Talmud.
Causam, quare Judæi novum Testamentum rejiciant, quivis novit,
quia scilicet, Christum seu Messiam Patribus in Vet. Test. promis-
sum, exhibitum esse non credunt. Sed sicuti hi judæi jam dudum
convicti sunt etiam ex Veteri Testamento, quod scilicet Christus seu
Messias sit exhibitus, ut patet ex Actor. 17. 1. 2. 3. ubi Paulus Thes-
salonicam, (ubi Judæorum Synagoga) ingressus per tria sabbatha ex
scripturis puta Vet. T. demonstrat, oportuisse Christum pati & à
mortuis resurgere, quæ in lege & Prophetis promissa, in Christo
verò impleta); & hunc Jesum quem judæis annunciavit esse Chri-
stum. Idem demonstravit eis c. 18. 5. Sic Apollo Alexandrinus
zelo & dexteritate ad mirabili præditus Judæus ex V. T. scripturis
in quibus potens erat, edoctus viam Domini, vehementer judæos
suos publicè revincebat, ostendens per scripturas Jesum esse Chri-
stum, de quo Act. 18. ult: sic facile convinci possunt, ut suscipiant
doctrinam Christi & suorum Apostolorum per quos ipse docuit.
Talmud illorum (quod etiam principium cognitionis de Deo di-
cunt) quod attinet. Est liber doctrinæ, & scientiæ Judaicæ juris
Divini & humani apud ipsos judæos canone deficiens, dialecto im-
purâ, nunc biblicâ, nunc Targumicâ, nunc Rabbinicâ nunc pecu-
liari Talmudicâ scriptus. Sed hîc liber 1. plurimas fovet in De-
um blasphemias, facit n. Deum improvidentiæ & criminibus ob-
noxium, legitur enim in illo expostulatio lunæ cum Deo quod so-
le minor creata sit, eumq; in responsis sibi à Deo datis non videba-
tur quiescere luna, Dixit Deus: offerte sacrificium ex piatorium
pro me, eò quod lunam sole minorem, feci. 2. fovet plurimas in-
eptias

eptias & frivolas nugas in viros Dei sanctos. Ita Adamum 130. annos Evam non cognovisse, sed Spiritus & demones ex illâ liberos generasse futu... Salomonem in extruendo templo Angelorum & Sathanæ præsidio usum &c. 3. Plurimas absurditates ridiculas, sic Adamum capite cœlos tetigisse nugatur, eundemq; fuisse creatum bifrontem, & ex posteriore ejus parte foeminam efformatam. Deum esse causam internecionis & calamitatis Israelis, excidii Hierosolymitani, ut & Angelos in solamen sæpevocare necesse habeat. 4. Modos habet probandi insulsos eosq; plurimos nihil ad rem facientes.

12. Recedunt ab eodem dicto (2) Sociniani statuentes libris N. T. tantum nec ullis aliis comprehensam esse religionis Christianæ necessariæ Veritatem. Quod etiam eorum Magister Socinus voluit c. de autoritate script: ubi etsi concedat ob plures causas lectionem Veteris Testam: esse utilem, iis, qui Novum Testamentum recipiunt, i. e. hominibus Christianæ religionis negat esse necessariam, sicque porro negat hanc esse necessariam ad Theologiæ finem assequendum (nota: etsi hi suscipiant Novum Testamentum, attamen illud non agnoscunt principium Theologiæ, sed potius rationem, ut supra th. 10. diximus) At hos remittimus ad præceptum Christi Joh. 5. 39, ἐπιδοῦναι τοῖς γραφαῖς, ubi sine dubio Veteris Testamenti lectio commendata, quia tum nullæ erant aliæ scripturæ. conf. v. 46. 47. & Ps. 1. 2. Ephes. 2. 20.

13. Despectunt deniq; à tertio dicto Pontificii, qui verbum Dei scriptis Prophetarum & Apostolorum comprehensum tantum dicunt partiale principium, aliaq; addunt, traditiones non scriptas, decreta priorum Pontificum, & decreta conciliorum, quæ omnia juxta illos sunt normæ ac regulæ Theologicæ: his autem regulis aut normis nullam constare ajunt autoritatem nisi judicio Pontificis approbentur. E quibus liquet 1. Eos Papam habere principium Theologiæ fundamentale, 2. eos dicere scripturam tantum normam Theologiæ partialem. 3. Traditiones non scriptas, decreta conciliorum atque priorum Pontificum illis etiam esse principium seu normam Theologiæ.

D

4. Non

14. Non tamen hic omnes inculamus Pontificios, sunt enim nonnulli candidè de hoc tractantes. Sic enim Cardinalis Alliacensis dicit in libr. 1. sententiarum art. 3. fol. 46. Principia Theologica esse ipsas sacri codicis veritates, quoniam ad ipsas fit ultima resolutio Theologici discursus & ex iis primis singulæ conclusiones Theologicæ deducuntur. Et post Alliacensem sic dicit Gerson discipulus ejus de Exam. doctr. part. 2. confid. 1. Tom. 1. fol. 107. Nihil audendum dicere de Divinis, nisi quæ nobis à scripturâ sacrâ tradita sunt, cujus ratio est, quoniam scriptura nobis tradita est tanquam regula sufficiens & infallibilis pro regimine totius Ecclesiastici corporis & membrorum, usq; in finem mundi, est igitur talis ars, talis regula vel exemplar, cui se non conformans alia doctrina vel abjicienda est ut hæretica, aut ut suspecta, aut impertinens ad religionem prorsus est habenda. Gregorius Magnus (ipsemet Papa) libr. 18. Moral. c. 4. Qui verè loqui desiderat, è sacris literis sumere debet, quid loquatur: & omne quod loquitur ad Divinæ autoritatis fundamētum revocet. Thom. Staplet: Jes: (suorum verborum, quæ antea eodem cap. & sect. dixerat, oblitus) dicit libr. 2. cap. 9. solas scripturas Divinas testimonium prorsus infallibile, purequè Divinum suppeditare.

15. Alii tamen Pontificii, alia, ut dixi, superaddunt principia, quæ singula ponderare non pigebit. Primò autem movebimus. *An Papa sit Theologia principium fundamentale*: Bellarminus Præfat. ad libros de summo Pontifice Tom. 1. Controv. 3. Gent. ex eo ipso loco Esaiano, quo nos Christum fundamentale principium esse, & quidem è verbis אֱלֹהִים יְהוָה , probavimus, probare conatur, Pontificem esse fundamentum Ecclesiæ, nec Christum h. l. intelligi posse, dicit enim: Quid est, in fundamento fundatum, nisi fundamentum post fundamentum, fundamentum secundarium, (quod Pontifex est) non primum. Sed Pontificio Pontificio hic respondere permittimus, scilicet Sanctio Jesuitæ, qui repetitionem Ebraam אֱלֹהִים יְהוָה fundatum fundatum, ait, continere epitafin, quâ significatur fortissimum fundamētum, quod vi nullâ convelli aut labefactari possit: hoc autem proprium est primarii fundamenti, non secundariorum.

16. No-

16. Nota. Mirandus (vel potius sibi ipsi nocens) hic est Bellarminus, quando Papam dicit secundariorum principiorum principale principium, à quo omnia alia habent suam autoritatem, & tñ. ad id confirmandum atque probandum adducit minus aliquod, juxta seipsum suosq; socios, principale, scilicet scripturâ.

17. Deinde Jesuitæ ex dicto Matth. c. 16. 18. elicere volunt Pontificem Romanum esse fundamentum scientiæ seu doctrinæ de Deo rebusq; divinis. Verba loci hæc sunt: *ὁὐτὴν πέτραν ὀνομαζήσω μετὰ ἐκκλησίαν.* Exinde concludunt (α) Petrum fuisse fundamentum Ecclesiæ à Christo constitutum, eiq; fuisse supra reliquos Apostolos collatum jus primatus (β) his verbis includi Papæ in definiendo infallibilitatem, (γ) hæc dona non fuisse Petro personalia, sed quæ in successores ex ordinatione divinâ transire debuerunt, (δ) Petrum sedem suam Pontificatus sui Romæ fixisse, jubente Christo, (ε) Pontificem, qui nunc occupat sedem illam, & illos, qui ante hunc à Petro illam occuparunt, legitime fuisse electos atq; ordinatos. Sed perversum dicti hujus intellectum, multa hic perversa parere videmus. Explicabimus dicti sensum, sic facile convincemus adversantes: Tu es Petrus & supra hanc Petram (quam confessus es antea, vide v. 16.) h. e. super me ipsum (non super te, ait Augustinus) meamq; doctrinam ædificabo mihi Ecclesiam. Pontificii intendunt, Christum velle, ut Ecclesia sua ædificetur supra Petrum, ita ut hic fulcrum aut fundamen ejus sit, sed litera dicit, velle Christum, ut Ecclesia sua ædificetur supra petram tanq. stabile atq; constans fundamentum, adeoq; Christus non solum, præter alios Apostolos, Petrum Ecclesiæ fundamentum constituit, quamvis cum cæteris maximè tale fuerit (vide Apo. 21. 14. Gal 2. 9.) ratione puta propagationis veri fundamenti doctrinæ de Christo, sic nec, Petro supra reliquos Apostolos collatum esse jus primatus, ex hoc dicto evincet.

18. Ut secundò tueantur modernorū suorū Pontificū autoritatem, Jesuitæ ex dicti verbis in judicio infallibilitatem Petro ascribunt, ut scilicet eò firmiter atq; constantius in eò persistere possit Ecclesia. At de Petro contrarium petimus è scripturâ. Matth. 16. v. 23. Salvator Petrum appellat Satanam, cur? propter incon-

Formè illud blandiloquium officio Mediatorio aduersum v. 22. sic
plura dissidentia atq; erroris Petri exempla vide in ipso passionis
Christi actu Marc. 14. 68 Joh. 18. v. 10. &c. Contrarium autem de
Pontificibus post Petrum, ipse Bellarminus demonstrat, quando de
Pontif: Rom. lib. 4. c. 2. dicit: Conveniunt omnes Catholici, posse
pontificem, etiam ut pontificem, vel cum generali concilio errare
in controversiis facti particularibus, quæ ex informatione testi-
moniisque hominum præcipuè pendent. Argumentamur: Ille
non habet iudicium divinum, adeoq; non potest esse verum Eccle-
siae Dei fundamentum, qui vel in re minimâ labi potest vel errare:
iudicium namq; divinum esse & errare posse, non consistere pote-
runt. Atq; Pontifex Romanus, juxta Bellarminum, potest in re
minimâ labi vel errare, Ergò Pontifex Romanus non habet iudi-
cium divinum. Et sic non potest esse verum fundamentum Eccle-
siae Dei. Nec hîc valet exceptio materiarum fidei, nam qui in ma-
joribus errare potest, cur in minoribus non possit? certè qui in
minoribus controversiis iudicare non potest certò & infallibiliter,
minùs potest in maioribus infallibiliter iudicare, qui enim alicui
negat minus, etiam majus ei aufert. Obiiciunt, pro defenden-
da Petri atq; suorum Paparum in fide infallibilitate 1. Salvatorem
Luc. 22. 32 orare pro non desitura fide Petri. Ergò & pro Pontificum.
Resp. Consequentia nullam esse vim. Intercedit namq; Salvator
& orat pro omnibus ex officio mediatorio (attestantibus ipsis Ie-
suis) non tamen sequitur: Ergò omnes homines sunt in fide in-
fallibiles. Deinde nec argumenti de Petro connexionem firmam
atq; ratam existimamus. Salvator oravit pro non desitura fide
Petri, Ergò Petrus in fide fuit infallibilis. Contrarium videre est
hoc ipso capite v. 57. 58. 60. ubi post hanc intercessionem ter Chri-
stum abnegasse legitur. Sic post Christi ascensionem erravit, cum
cæteris discipulis Act. 1. 6. & Gal. 2. 11. Obiiciunt secundò, quòd
liberè fateantur Papam errare posse errore scilicet personali, pri-
vato, non verò, cathedrali, judiciario, definitivo seu publico, eò
quòd sit summus Pontifex. Sed ad hoc responsionis solo sufficient
errores publici ex V. T. 1. Aaronis de quo Exod. 32. v. 4. 21. 22. & Archi-
pontificis Uria, in impiissimi Regis Achas gratiâ idolomaniâ perpe-
tratis, altaria Diis ex ædificatis & in iisdè sacrificantis 2. Reg. 16. 11. 12.

le 99.

leqq. qui sanè errores publici habendi, Excipit Gretzerus Jesuita, Uriam in placata Regis euntem, non mansisse verum Pontificem, hic n. quatenus talis, ait, errare nescius est. Sed merito irridèdus est Jesuita, dum monstrosum hìc indicat Papam, quod scilicet tunc non sit Papa quando errat, & tñ. sic Papa errare nesciens. Em ineptias! Eodè modo quoq; gravissimos & horrendos Pontificèu errores defendere possent, Sic Scortationè Johannis Anglici VIII. (Meretricis, sexù virilè mentitæ) Adriani III. factum, qui ambitiosè, ut pontificia autoritas majestatem Imperatoriam superet, autor est. Johannis XI. gloriæ militaris cupiditatem, Pauli III. sævitiam in Reges & Imperatores, Idolomaniam, lasciviam patri-atq; matricidium (Eum enim ante papatum & patrem & matrem occidi curasse, scribit Vergerius, quò hæreditatem totam ad se derivaret, atque hæc ratione ad papatum assurgeret) Sylvestris alieujus horrendum atq; nefandum cum Diabolo initum pactum, amicitiamq; fraternam; aliaq; pontificum gravissima scelera. Imò defenderent hoc ipso, papam esse posse Diaboli instrumentum, & simul doctrinæ de Deo ejusq; voluntate, seu Ecclesiæ fundamentum. Et si publicos in religionis causis errores pontificum, inquirunt pontificii, facili negotio eos invenient in papa Marcellino, qui idolis sacrificavit, in Liberio qui Arrianorum confessioni subscripsit, & cum iis communicavit, ut scribit de eo Christian. Matthias in Theatr. Histor. libr. 4. p. 376. in Honorio Monothetarum doctrinæ astipulatore, qui cuncti ob Ecclesiasticum errorem damnati sunt, quod ipsi non negant papisesque.

19. De donorum Petri in successores propagandorum, ex ordinatione Dei, successione, quod ex dièti loco docent, falsum est. Nam ex ordinatione divinà Petro solum modò jura divina commissa esse cum cæteris Apostolis, non verò humana, constat ex Luc. 22. 25. 26. At pontificii pontifici suo nunc tribuunt & jura Divina & humana: sic enim Johannes de Turre Crematà Cardinalis in summâ de Eccles. libr. 3. cap. 64. dicit: Quod omnia jura divina & humana pontifex in serinio sui pectoris habeat, etiamsi idiota sit, ac proinde solâ ipsius sententiâ standum esse. Hæc jura humana tantum inchoata sunt anno post Christum natum 1301. à Bonifacio VIII. quando is jubilæum instituit, & primò in pontificali habitu processit, populoq; ut Spirituâlis atq; Divinus benedictionem impertivit: altero verò die processit

indutus habitu imperatorio & sceptrum sibi præferri gladiumq; curavit, cum hæc inscriptione: Ecce duo gladii hi sunt, testibus Cran-
ezio & Ursp: Deinde in successoribus Petri reperimus, quòd sæpiuscu-
lè antecessorum suorum statuta atq; scripta mutârint. Sic Sabinianus
pontifex in ordine LXV. omnes libros Gregorii I. antecessoris com-
bussit. Stephanus VI. & Gregorius III. omnes ordinationes atq; statuta
P. pæ Formosi resciderunt: Johannes X. Stephani VI. acta improbavit
& abrogavit, attestante Carranzâ Monacho; cur hæc statutorû reforma-
tio facta? an propter mendas, quas fortè in antecessorum scriptis re-
pererunt? Fortè hoc non dicent pontificii, nam sic illi concedere
debèrent, vel illos errores aut mendas in pontifices transiisse à Petro
vel non transiisse; non hoc concedent, nam sic infallibilitatem in fide
modernorum pontificum non possent probare ex infallibilitate pe-
tri, quod tamen conantur, ut dictum; nec illud, nam sic petrum in fide
fallibilem fuisse, dicerent: an ex odio atq; irâ quàm in antecessoris ha-
buerunt, hæc reformatio facta? Bellarminus hoc de Sergio & Step-
hano approbat. Sed jam ab eo petimus, ut aut suam sociorumq; thesin
defendat, quando dicunt: papam non posse errare errore cathedrali
aut publico, aut probet hos errores non fuisse cathedrales seu publi-
cos, quod nunquam faciet. Ex quibus liquet 1. quomodo dona illa
petro (non soli sed & aliis Apostolis) commissa discrepent à jure hoc
tempore existentium pontificum 2. quod nonnullorum paparum suc-
cessio potius dicenda sit secessio, ut eam vocat Christophorus Agri-
cola cum contr. vistor. scribit pag. 8, & quòd nuda sit successio per so-
næ vel loci, non verò doctrinæ, ita ut mirum sit, Pontificios tantum
gloriarî posse de hæc successione, quod scilicet sit vera Ecclesiæ nota,
cum saltim sit externum quoddam accidens. 3. quàm inconstans atq;
fragile sit fundamentum, in quod ecclesiam ex ædificandam esse ex-
istimant papistæ.

20. De sede pontificatus, quam petrum jussu Christi Romæ fi-
xisse dicunt, ut sic ibi solum modò quærendum sit Ecclesiæ fundamen-
tum, nihil habent, quòd probent adversarii, nec de hoc quidquam; an petrus
unquam fuerit Romæ, què ergo sedem suam ibi habere potuit? Hæc
de re si quam eorum probationem videmus, nil nisi sui ipsorummet
confusionem aut contradictionem videmus. Dicunt n. Linum Anno
Chri-

Christi 70. succedisse petro & hoc ipso tempore primatus sui initia fecisse, obiisse a. sub primordio consulatus Capitonis & Rufi, anno 13. Neronis. Deinde uniformiter dicunt, petrum anno corrente Neronis 14. esse occisum (aggressus n. est imperium Nero Anno Christi 55. qui capite truncare curavit petrum Anno Christi 69. vide Matthæ Theatr. Monarch. 4 p. 115. & 128) Qui hæc congruunt? Linus ante obitum petri est mortuus, & tñ. petro post mortem successit Romæ? Sanè si Linus fuit Episcopus Romæ, ex hoc principio nunquam Petrus.

21. Tandem de legitimâ vocatione atque ordinatione quam de pontifice Romæ gloriantur pontificii, aliter exempla probant, ubi mox sceleratissimi probis, idiotæ doctissimis sine jure sive ordinatione successerunt. Sic n. testatur ipse pontificius Genebrardus Chronolog. lib. 2. ad annum 901. per annos ferè centum quinquaginta à Johanne scilicet VIII. qui Nicolao & Adriano II. sanctissimis pontificibus successit ad Leonem IX. usq; à virtute majorum prorsus defecerunt, Apotactici Apostaticiq; potius quàm Apostolici, quando non per ostium, sed per posticum h. e. Imperatorum tyrannidem ingrediebantur. Hoc cum ita sit, ita etiam fatentibus pontificiis, quæ nam potest esse certitudo successionis pontificum? vel ordinationis veræ ac legitimæ hujus vel illius pontificis? Exemplum profert Sigonius de Pontifice Bonifacio lib. 7. de reg. Ital. Bonifacius, dicens, irâ fremens Constantinopoli, quò fugerat, Romam rediit, ac pecuniâ ingenti, quam ex rebus sacris divenditis redegerat, multis ad suas partes attractis, Johannem ipsum corripuit atq; in custodiam tradidit; ipse vacuam sedem inivit, Sic de Alexandro VI. scribit pandolph. Collenurus lib. 2. de bello Neapol: Inter alia, insimulabant eum (Alexandrum VI.) empti pontificatus, & verè quidem istud. Hæcne legitima vocatio, quæ vel ære vel armis vel insidiis acquiritur? Nil ergò est, quod velint pontificii hæc vocatione ac ordinatione firmare fundamentum Ecclesiæ: nec dictum Matthæi illis id præstat, quod ab eo requirunt.

22. Nos potius ac rectius ad nostrum usum accommodamus dictum citatum juxta thesi 17. explicationem datam, quam roborabim9 hoc argumento: Fundamentum salutis est petra Ecclesiæ (petra enim sonat fundamentum, illudq; solidum, & respondet Ebræo $\tau\alpha$ quod à soliditate dicitur); atq; illud propter quod Salvator (loco laudato Petrum)

petrum vocat beatum, est fundamentum salutis, vide v. 17. Ergo, illud, propter quod Salvator petrum vocat beatum, est petra Ecclesiae; concessa conclusione, ultrò progredimur: Illud, propter quod Salvator petrum vocat beatum est petra Ecclesiae. Illud propter quod Salvator petrum vocat beatum est confessio Christi Filii Dei vivendis v. 16, patefacta (non à carne & sanguine sed) à cœlesti patre, v. 17. Ergo. Instas. Confessionem hanc petri de Christo tum temporis non fuisse licetis exarata atq; ab Apostolo conscriptam, & tamen dici fundamentum seu principium Ecclesiae seu doctrina de Christo *Deus Dicitur* in Ecclesia. Ergo non solum verbum DEI à prophetis atq; Apostolis scriptum est principium Theologiae seu doctrinae de Deo. Respondet textus, quando dicitur, patrem cœlestem hanc confessionem revelasse, quomodo verò? per prophetas Veteris Testamenti. Dices. Ergo scripta prophetarum sunt solitariò principium Theologiae? Resp. Ut ut Apostoli scripta V. T. habuerint suae Theologiae principium, non tamen hoc ipso excluduntur scripta Apostolorum N. testamenti à principio nostrae Theologiae. Nam utrumq; dicere licet: Veteris Testamenti scriptura est verbum Dei patefactum solitariò, & Novi Testamenti scriptura est verbum Dei patefactum solitariò. Hæ enim propositiones stant in lineâ subalternante, non oppositâ, ut rectè dicitur: Solus pater est Deus, non excluso filio, & solus filius est Deus, non excluso patre. Sic & de utriusq; Testamenti scripturâ.

23. Hactenus de fundamentali seu secundariorum principali principio, à quo omnium cæterorum principiorum autoritatem pendere dicunt Pontificii. Brevibus etiam aliud quoddam principium videbimus, nempe traditiones Pontificum. Sunt autem traditiones hæ Pontificum non scriptæ dogmata & decreta ad salutem creditu factuq; necessaria, ab ipso quidem Christo & Apostolis profecta, sed quæ tamen in libris Vet: & Novi Testamenti nusquam extant tradita.

24. E quibus colligitur 1. Traditiones papisticas esse extra scripturam. 2. Esse profectas à Christo & Apostolis, & 3. eas cum scripturis in cedere æquo passu, scilicet, quod ad salutem consequendam æquè ac scriptura sint necessaria.

25. Primum quod attinet, dicimus, traditiones papisticas esse extra scripturam, sed non convertibili modo, quod omnes traditiones,

quæ

quæ sunt extra scripturâ, sint traditiones papisticae, nam nonnullæ sunt traditiones, quæ licet nõ expressis habeantur verbis in scripturâ, adeoq; non scriptæ dicantur, cum eâ tn. aliquam involvunt convenientiã fundamentumq; suum ex eâ quarunt, ut sunt 1. multæ traditiones quæ ratione locorum temporum & personarum, non scripto verbo, sed orali voce communicatæ sunt, ut sunt articuli fidei, & prædicatio verbi scripti. 2. Conclusiones illæ quæ in scripturâ toridem verbis non habentur, sed tn. jam olim ex collatione scripturarum & firmis consequentiis ex eis petitis, deductæ, pro dogmatibus fidei aut pro ritibus necessariis in Ecclesiâ habentur & sunt. Quibus accenseri possunt vocabula quædam in Ecclesiâ usitata, quæ quidem in sacrâ scripturâ non reperiuntur, reperiuntur tn. in illâ, quoad res, quæ ad fidem pertinent, non verba, ut sunt vocabula Trinitatis *ὁμοούσιος*, in geniti, processio- nis Spiritus S. &c. 3. Traditionis non scriptæ meminerunt aliquando scriptores Ecclesiastici præter doctrinam fidei & morum scriptam, quæ nihil aliud ipsis fuit quàm scriptæ doctrinæ praxis non literis sed factis expressa, ut Christianorum vita exemplaris, fidei sancta professio, inculcata conversatio &c. Denique 4. Sunt aliqua dogmata quæ in scriptura non habentur, scripturæ tn. non sunt contraria ideoq; nec temerè rejicienda, etiamsi non sint ad salutem necessaria, de quibus traditionum non scriptarum generibus plenius tractat Andr. Rivetus in *Isagoge ad sacr. script. c. 26. §. 12. 13. 14. seqq.* papistarum a. traditiones ita sunt extra scripturam, ut maximâ ex parte cum ipsâ scripturâ pugnent & in eâdem, ne vestigia quidem earum appareant, nec sic ullam convenientiam cum verbo Dei habeant, nec id pro suo fundamento agnoscant.

26. Nota, Nonnulla pontificiorum argumenta pro suis traditionibus defendendis, posse ex diversâ traditionis jam citatâ suppositione solvi. Sic quando patrum allegant testimonium, dum hi dicunt, aliquas traditiones ab Apostolis ad se permanasse, Responso patet vel ex 2. genere traditionum, patres intelligere traditiones rituales Ecclesiasticas, quæ introductæ sunt Ecclesiæ ut omnia ordine & decenter in eâ fiant 1. Cor 14. 40. Et hæ traditiones, si piæ & non pugnantes cum scripturâ & absq; superstitione & opinione cultus & meriti sint, maximè necessariae sunt, ut Evangelii doctrina commodius proponi possit, quæ si ordine temporis & piis ceremoniis careat, vilescere inci-

E

pit

pit apud rude vulgus; Hinc Dn. D. Chemnitius (quem alias Becanus de traditionum Apostolicarum non scriptarum concessione inculcat) in exam: concil. Trident. sefs. 4. in 7. gen. Tradit. proficitur: ritus quosdam externos, qui in scripturâ annotati non sunt, ab Apostolis fuisse traditos, tales a. ritus se meritò amare, & retinere; vel etiam ex 3. tradit. gen. Patres scil. nonnullis locis traditiones intelligere exemplares. Sic Chryf. Homil. 5. ad 2. Epist. ad Theff. (ad verba Pauli ejusdem Epist. c. 3. 6.) Traditionem inquit quæ fit per opera, & Deus hanc semper dicit traditionem. Porrò quando Pædobaptismum urgent, dum eum dicunt traditionē Apostolicam (quod etiam ipse Chemnitius in Exam: concil. Trident. Sefs. 4. in 3. gen: trad: cum D. Augustino de Gen. ad literam lib. 10. c. 26 [cujus rei causa Becanus cum Chemnitio contendere conatur] facit) resolutio fit ex 2. genere traditionis. Nam, utut Pædobaptismus expressâ literâ in scripturâ non mandetur, tñ. per bonam consequentiam ac ratiocinationem exinde de duci potest, & quidem ex multis locis. 1. ex Matth. 18. 10. 11. ubi benevolus ac paternus vultus atq; affectus cœlestis patris erga parvulos describitur, quod scilicet flagrans ac impensus hujus Patris amor non tolerare possit, ut parvuli habeantur despiciatui ab aliquo, ob id, quòd etiam hi inter τὸν ἑσθλαλός v. 11. referantur, sed potius velit, ut atq; hi quàm omnes perditæ oves per hominis filium salvificentur, si quidem & parvuli sunt pars perditarum ovium, sunt ergò & pars paterni sui amoris. Si verò parvuli sunt etiam perditæ & tñ. salvandi, quidni & baptizandi? Si Deus amat eos, etiam fœdus cum eis pangit, cujus fœderis signaculum in N. T. est Baptismus, qui Dei amorem firmat. Cujus flagrantissimi amoris Dei indicium erga infantes habetur Marc. 10. 14. talium n. est regnum cœlorum, inquit Christus. Si regnum, etiam illis est ostium ad regnum, quod est Baptismus. 2. ex analogiâ circumcisionis in V. T. cum Baptismo: Sicuti n. circumcisio in V. T. adhibita fuit infantibus octiduanis, ex Dei mandato Gen. 17. 12. eadem etiam ratione Baptismus, qui in circumcisionis locum successit, eis (non solum octiduanis sed etiam adhuc junioribus) conferendus, ne contemptus hujus sacramenti damnet. 3. ex necessitate Baptismi, quæ colligitur ex Joh. 3. 5. 4. ex universali Christi mandato de Baptisandis Matth. 28. 19. Eadem resolutione gaudet objectio-
nes

nes Pontificiorum de processione Spiritus S., de peccato originali, de cænâ porrigendâ mulieribus, de descensu Christi ad inferos, de virginitate Mariæ, è V. T. de medio salutis foeminarum & Profelytorum in V. T. Sic & Becani objectio de formâ verborum in Baptismo: Ego te baptizo in nomine Patris &c. de determinato Sacramentorum N. T. numero, & de aliis pluribus.

27. Circa alterum, quòd de traditionibus Papisticis diximus, eas scilicet secundum Pont. esse ab Apostolis & Christo profectas, animadvertendum, pontificios quidem distinguere suas traditiones in Apostolicas & Ecclesiasticas, quarum illas dicunt dogmata quæ ab Apostolis vivâ voce, non scripto, sunt annunciata; Has dogmata, quæ post Apostolorum tempora ab Ecclesiâ Romanâ h. e. Papâ ceu Ecclesiæ Capite, Cardinalibus, Episcopis, sacrificulis, & id genus hominibus (qui talem constituunt, juxta illos, Ecclesiam) prolata atq; confirmata sunt, attamen has Ecclesiasticas Apostolicarum nomine venditant. Sic n. dicit Bellarm. de verb. Dei c. 4. cum omnes Doctores Ecclesiæ communi consensu docent, aliquid ex Apostolicâ traditione descendere sive in concilio generali, sive seorsum in libris, illud credendum est, Apostolicam esse traditionem. Nos utrasq; impugnamus.

28. Impugnamus (a) Pontificiorum traditiones Apostolicas. De his n. quarimus à pontificiis, an sint Divinæ? an humanæ? Divinas eas dicere non audent, quia nunquam probabunt dari aliquam traditionem ad salutem consequendam quicquam facientem extra scripturam, quæ sola sufficiens est ad hominem DEI perfectum reddendum & ad omne bonum opus perfectè instruendum, 2. Timoth. 3. v. 16. 17. nec ei quicquam addere licet, Apoc. 22. 18. Nec traditio talis tamdiu inviolata extra scripturam haberi potest, saltem non potest ostendi, proinde nec pro divina traditione habenda Nec humanas eas dicent, Humanæ enim traditiones ad salutem non necessariæ sunt vide Matth. 15. 9. quod tamen de suis traditionibus (sed falsò, ut postea dicemus) gloriantur papisequæ. Bellarminus libr. 4. de Verb. D. c. 5. §. 6. hasce traditiones Apostolicas extorquere attentat ex dicto Pauli 2. ad Thes: c. 2. 15. quando dicit: *σήμετε ἀδελφοί κρατεῖτε τὰς παραδόσεις αἷς ἐδιδάχθητε εἶτε διὰ λόγου εἶτε δι' ἐπιστολῆς ἡμῶν.* E quo Bellarm. colligit diversa esse

esse, quæ tradiderat & quæ scripserat Apostolus. Sed Resp. 1. Vix Bellarm. posse demonstrare, traditiones hæc de quibus agit Apostolus, fuisse ad salutem & quidem omnibus necessarias aut saltem ultimas doctrinas. 2. Concesso esse necessarias, dicimus: particulam illam *et* h. l. non tam disjungere, quàm copulare, ut sensus sit: Tenete traditiones, quas & per sermonem vivum, & per epistolam etiam didicistis, at ea ejusdem naturæ & conditionis erunt, nec diversa à scriptis epistolis, dogmata, quæ Apostoli vivâ voce tradiderunt. vide 1. Joh. 1. 3. 4. De particula vide 1. Cor. 15. 11. Col. 1. 20. & 3. Deniq; posito, Apostolum Thessalonicensibus quædam ore ac verbo tradidisse primùm, quæ tum adhuc chartis nondum fuerunt impressa, unde probabit Bellarm: ea ipsa postea opportuno tempore non fuisse scriptis Thessalonicensibus vel hisce ipsis vel etiam suis posterioribus, neq; ab ipso Paulo, neq; ab aliis Apostolis, neq; Evangelistis post ipsum, commendata? Sicuti hæc ex nullo scripturæ loco (nisi fortè ex pontificis autoritate, aut Conciliorum ac Patrum placitis) probabit adversarius, sic nec verba illa, quæ idem Apostolus, Timotheum à se audivisse 2. Tim. 1. 13. & c. 2. 2. dicit, postea typis non mandata fuisse demonstrabit, quæ duo loca aliàs etiam adversarii solent in defensionem suarum traditionum non scripturarum Apostolicarum producere.

29. Impugnamus (B) Pontificiorum traditiones Ecclesiasticas. Sunt enim hæc (N) humanæ & ex cerebellis hominum profectæ (M) scripturæ directè contrariæ, quod ipsi fatentur. Sic enim Colonenses in suo scripto: Si quis, dicunt, doctrinam Pontificiam examinet ad regulam verbi Dei, & videns eam dissentire, si contradixerit, ferro aut igne è medio tollatur. Hocq; principium ponunt: Quicquid Pontifex Romanus cum suâ conjuratâ catervâ decrevit, statuit, & proponit, statim amplectendum & firmiter credendum esse sine ullâ inquisitione, an consentaneum sit scripturæ sacræ *an verò manifestè pugnet*. Sunt (A) nonnunquam inter sese pugnâtes & diversæ. Sic Clemens Alexandr. lib. 1. Stromat: commemorat traditionē, quod Christus uno solo anno prædicationis munere sit functus, quam Iren. l. 2. c. 93. ad hæreticas refert traditiones. Sic de celebrandi Pascatis tēpore Romani suæ observationis originē referebant ad traditionē Petri & Pauli, quibus Asiatici opponebant
aliam

aliã quam à Johanne & Philippo & aliis accepissent. De nativitatibus Christi die inter Ecclesias usq; ad Hieronymi tempus diversam fuisse traditionem, ipse testatur Hieronymus Tom. 3. Serm. de Christi Nativitate. Sunt (7) ridiculæ: Sic de esu graculorum, cornicularum, ciconiarum & leporum, cujus traditio fuit Zachariæ, de prohibitione esus lardi antea non fumigati, ite avium animaliumq; aliorum in retibus strangulatorum &c. Sunt (7) frustraneæ Matth. 15. 9. Col. 2. 22. 23. sunt (1) decipientes homines Col. 2. 8. nonnullæ (1) Dæmoniacæ 1. Tim. 4. 3. conf. v. i. Sunt (7) magis nocuæ quam utiles ad salutem.

30. Circa tertium, quod ex pontificum traditionum descriptione citata elicuimus, has nimirum traditiones cum verbo Dei æquo incedere passu h. e. fidẽ nostram moresq; nostros tam juxta traditiones suas, quam juxta scripturam esse mensurandos atq; examinandos, habendum; pontificios hæc de re dispari stare parte, alii eandem vim scripturæ cum traditionibus tribuunt, ut Becanus qui Manual. lib. 1. c. dicit, traditionem habere parem vim & parem auctoritatem cum scripturâ, & Colon. in scripto suo fol. 230. Ea, quæ sub titulo & prætextu traditionum Ecclesiæ obtruduntur, licet ex scripturâ probari non possint, habere tamen parem auctoritatem, & eadem fide esse credenda, sicut illa, quæ manifesta habent in scriptura testimonia, & alii plures: alii vero majoris æstimmii ac auctoritatis esse traditiones, quam scripturâ, ajunt. Sic Wilh. Lindan. lib. de opt. gen. interp. in præf. p. 9. sic scribit: Traditio Ecclesiastica omnis planè nostræ Christianæ religionis est puppis & prora, indubitatũq; salutis & castrum & propugnaculum; quod eã salvã, omnis doctrinã scripturarum etiam perditarum, adeoq; exustarum & deletarum, consistat salva; quam Christus ille Christiano gregi à Christo pastore doctor promissus nõ modo suggeret, sed tuebitur etiam atq; propugnabit, vero Christi sensu illustratam, ubi in margine notat: Salvo traditionis Apostolicæ fundamento, nihil noxæ inferetur Ecclesiæ, licet aboleantur scripturæ. Gretzerus Jesuita etiam gratias sibi à sociis promereri volens, ait, Lucernam esse nobis verbum Dei (ex Ps. 119. 105. non simpliciter sed) quando ponitur supra candelabrum. Hoc a. candelabrum esse traditionem Ecclesiæ suæ, quam Catholicã vocat, cum quo scriptura conjuncta lucet, quæ nunq. lucebit, nisi supra hoc Ecclesiasticæ explicationis & interpretationis candelabrum (traditionẽ) substituatur: Ast gratias, quas hoc ipso à sociis expectat, nos merito illi debemus, partim, quia à sociorum nonnullorum sententiã rece-

ait, quando traditiones scripturæ adæquat, ubi hi traditiones magis lucere, quàm scripturâ, ajunt, de quâ supra, partim quia hanc ipsam cõparationem in nostrum commodũ & sui ipsius ac sociorũ exitium producit. Experiẽtia n. nos docet, lucernâ posse lucere sine candelabro, sic etiam dicit Gretzerus, scripturam sine traditionibus lucere posse; & porrò candelabrũ per se nullũ fundere lumen, cum res prorsus cœca sit, sic traditionẽ Eccl. Rom. dicimus nullâ habere lumẽ cum cœcã sit atq; humana.

31. Nos contrã dicimus: Traditiones pontificias nec parem nec majorẽ habere cum sacrã scripturâ vim atq; autoritatẽ, sed solam scripturâ hanc habere autoritatẽ, ut juxta hãc omnes traditiones, quæ vel ab hominibus, tanq; Divinæ vel Apostolicæ habẽtur, vel ab Ecclesiis institutæ observantur, judicentur, mensurẽtur, atq; examinentur, ita ut nihil quicquã vel in rebus fidei aut morum vel in ritibus ac politis Ecclesiarum usurpandum suscipiatur, quod adversus scripturæ regulas impingat. Sic ipsum Paulum suas traditiones (quas vide 1. Cor. II.) juxta scripturâ normãsse atq; examinãsse legimõ eod: cap. non v. etiam secundum traditiones pontificias humanas incertas atq; falsas, adeoq; in judicãdis rebo fidei nihil prorsus autoritatis atq; virtutis habentes. Demprã jam tali vi atq; autoritate à Pontificalibus traditionibus, quĩ istæ poterunt esse Theologiæ principium? Tuta ergò ab his adhuc stabit th. nostra § 7. data.

32. Id quòd hætenus de traditionibus pontificiorũ diximus, id etiam de conciliorũ eorum decretis dicere licebit, ea nempe, quat: cum sacro Dei verbo conspirant atq; congruunt suscipiendæ, quat: verò mensurata atq; examinata sunt juxta Rom. Pontificis cerebellũ, rejicienda sunt.

33. Hæc enim, quã talia, mere i. humana sunt. 2. erronea, sic Concilium Milevitanum altero conjugum in adulterium lapsò, parti innocenti secunda vota negavit can: 7. Concilium Carthag: decrevit. Baptizatos ab hæreticis denuò baptizandos esse. Nicenũ damnavit milites post fidei Christianæ professionẽ redeuntes ad militiam. Seleuciense negavit, Christum esse *εμὲσον*, Ariminẽse hæresi Arianæ subscripsit & vocabula *εἰς* & *ὁμοούσιον* damnavit. Hinc Sulpitius Severus de hoc Concilio: Hoc, inquit, modo concilium Ariminense dimissum, bono initio, fœdo exitu est consummatum. Ephesinum II. Eutychem hæresin probavit. Chalcedonense Monachis & monialibus conjugii usu interdixit. Carthagiense V. sacrificia, oblationes, & intercessionẽs pro defunctis in vexit. Lateranense transsubstantiationẽ panis & vini in cœna cõmentum habuit, & auricularẽ omnium delictorũ confessionem sanxit. Concil: Trid: (habutum An: Chr: 1545. sub Paulo III. Rom. pontif.

tif. & consummatū An: 1563. sub pio IV.) tot tantisq; erroribus scater, ut illud
verè cum Davide cætum malignantiū vocare possimus. De quibus errorib9
hujus Concilii vide Theatr: Historico-Theor: Pract: Chr: Matthiæ lib. 4. à p.
748 usq; 753. Sunt 3. inter sese pugnãtia, totis etiam decretis, quod cuilibet
concilior: omnium decreta legenti & inter se conferenti facilè patebit,
præsertim ex Gratiani XLVIII. Imp. Rom. decretorum opere. Exemplo sit,
decretum Concilii Basili: quod fuit: Concilium esse supra papam, contra Tri-
dentini plurimorumq; aliorū est: papam esse supra Concilium. Quam con-
ciliarū atq; Catholicorū de hac re discrepantiã ipse agnoscit atq; profitetur
Bellarm: lib. 2. de Concil. c. 13. quando dicit: inter suos catholicos non con-
venire de Concil: & pontificis præ eminentiã. Sic porro Gregor. VII. multa
Concilia congregavit, in quibus impia decreta contrariis sequentium con-
cil: decretis damnata fuerunt. Ex quò patet posse etiam Concilior: decreta
esse 4. impia ac blasphema. Nonnunquã etiam sunt decreta pontificis ipsi
non placentia, hi n. nec omnia nec omnes canones in omnibus recipiunt.

34. Distinctio inter concilia Apostolica & Pontificalia, & inter decreta
quæ fiunt ex sacrâ script: & inter illa quæ fiunt contra scripturam, plurima
solvit argumenta quæ Pontificii pro suis decretis conciliorum producunt.

35. Ex hæcenus dictis satis concludere licet. Conciliorum Pontificiorum
decretorum autoritatem nullam esse in rebus fidei morumq; decidendis,
& sic minimè hæc ipsa poterunt esse Theologiæ Principium.

36. Nec hæc in re tandem Patrum autoritatem in tantum extollimus, in
quantum eam extollunt pontificii. Nam hos in plurimis, etiam de fide faci-
entibus, lapsos fuisse, eorum scriptorū lectio manifestat, quorum errorum
catervam de Irenæo, Tertulliano, Lactantio, Cypriano, Origene, Hilario,
Epiphano, Ambrosio, Hieronymo & Augustino recenset Rivetus in tracta-
tu de Patrum autoritate c. 9. Imò ipse Bellarm. lib. 3. de Verb. D. c. 10. Quis
neget, ait, Patres habuisse excellenter donum interpretandi & tra. præci-
puos eorum lapsos esse? Justinum, Irenæum, Epiphanium, Oecumenium;
& quamplures alii è Pontificiis nævos atq; errores Patrum enarrant.

37. Attamen, his nævis minùs perpensis (etsi concessis), Pontificii Pa-
trum scripta præferunt Scripturæ divinitus datæ. Dicunt n. Testimonium
Patrum esse veram Hercules clavam, quã solã hedræ multorum capitum
h. e. variæ hæreses, conterantur, at sacram scripturam esse nasum cereum,
regulam plumbeam &c. Sicq; potiùs juxta illa quam juxta hanc res Theolo-
gicas esse judicandas atq; dirigendas.

38. Nos contra dicimus: patrum scripta ex se non possunt fidem indubi-
tata in rebus divinis facere, nec per se sufficiunt ad ingenerandam fidem

Divinam. Sunt enim testimonium humanum: Humanum a. testimonium nullum ex se fidem in rebus Divinis indubitatum facere potest. Omnis n. homo est mendax, & errare hominum est, Deinde (quod alteri positionis parti addi debet) Patrum testimoniū non ideò verum esse existimari oportet, quod ipsi scripserint; sed prout ratio ab iis adducta vel scriptura citata persvaserit, probato jam antecedente, concludimus: Ergo Patrum scripta vel testimoniū non possunt esse fidei Divinæ, adeoq; nec Theol: principium.

39. Nota: Nos tn. hoc ipso non velle, quod scripta omnia Patrum planè sint vitanda vel explorenda, sed potius magnam eorum autoritatem esse in his in quibus scripturæ consentiunt, etiam apud nos, maximè approbamus, interim cum autoritas scriptorum talium ab autoritate scripturæ pendeat, fatentibus etiam ipsis nonnunq. Patribus, majorem existimamus scripturæ autoritatem, quam Patrum eorumq; scriptorum, Et dum hæc sacrum Dei verbum scriptis comprehensum ut principium suum supponunt, non poterunt ipsa esse cognitionis de Deo principium.

40. Hæc de Adversariorum sententiis de principio Theologiæ, quibus jam evictis, firma ac constans permanet nostra de hoc sententia, thesibus superioribus 5. 6. 7. publicata, scil: Solam scripturam esse unicum & indubitatum Theologiæ seu fidei nostræ principium. Et si quæ alia præter hanc addantur, illa, ut merum hominum figmentum, rejicimus.

41. Tandem. Cum $\delta\epsilon\chi\epsilon\lambda\acute{\iota}\sigma\tau\omega$ Theologiæ omne planè principium denegaverimus thesi. 2. & sic scriptura non potest ejus esse principium, superest, quæstio, *An scriptura Veteris & Novi Testam: sit principium commune cuilibet Theologiæ $\epsilon\kappa\lambda\acute{\iota}\sigma\tau\omega$?* Neg: Nam solummodò hoc principium proprium est revelatæ. Non enim hæc est principium $\epsilon\kappa\lambda\acute{\iota}\sigma\tau\omega$ unionis, hæc n. cum Apostolorum Theologiâ idem agnoscit principium, nempe veteris saltim Testamenti scripturam, juxta quam suam doctrinam instituisse, normasse ac mensurasse Christum, hinc inde in novo Testamento apertè, declaratur. Deinde & $\epsilon\kappa\lambda\iota\sigma\tau\omega$ intuitionis hocce respuit principium, hæc namq; Theologiâ fruissentibus, beatis, non opus est hoc principio (scripturâ) ad cognoscendam voluntatem atq; essentiam Dei, hanc enim (dum Deum à facie ad faciem cognoscunt) perfectè intuentur, & sic hæc ipsa voluntas atq; essentia, illorum cognitionis principium est. Universalis deniq; revelationis Theologia seu naturalis non aliud præter naturam suscipit principium. Lis ergò fuit, nostræq; theses positæ de revelatæ seu particularis Principio. Tantùm,!

לאלה בלחוד איקרא ואחדנה אפהשא ובכלהן עלמא אמין

Ad Cl. Dn. Autorem & Respondentem.

Scripturæ benè juradoce, & mystica
coeli
Plurima. Sit felix! Balthica tota
favet.

Celerimè

Augustus Varenius, S. S. Theol. D.
Profess. p. t. Acad. Rost. Rector.



Celestis sophiæ naturam quærere, ZWICKI,
Principiumq; fidei sistere, næ labor est.
Limitibus certis se terminat illa, nec ultra,
Quam par est, coeli fas referare vias.
Hoc fixum nobiscertumq; locare necesse est,
Ni mutare velis cœtera cuncta fidei.
Naturam sopherici bene principiumq; stitisti.
Quis dubitet, sopheriæ te retinere decus?

amoris mnemosynon

scr.

Joh. Georg. Dorschæus D.



Ad Eximium Dn. Respondentem,

Amicum pl. dilectum.

Quæ luci donas, ZWICKI, meletemata sacra,
Ex animi sensu sint tibi fausta, precor,

L. M. Q.

Casp. Mauritius D. P. P.
& Superint.

MONUMENTUM LAUDIS.


TEstantur mores, ZWICKI CLARISSIME, quis sis,
Testatur Virtus, TE penetrâsse sacra.
Si licet, ut vates existam, candida scribam
Carmina: TE poscit Guesphala terra Virum!

Positum

à

B. Gosman,
P. P.





tif. & consummatū An: 1563. sub pio IV.) tot tantisq̄
 verē cum Davide catum malignantiū vocare poss
 hujus Concilii vide Theatr: Historico-Theor: Prac
 748. usq; 753. Sunt 3. inter sese pugnātia, totis etiat
 concilior: omnium decreta legenti & inter se
 præsertim ex Gratiani XLVIII. Imp. Rom. decreto
 decretum Concilii Basil: quod fuit: Concilium esse
 dentini plurimorumq; aliorū est: papam esse supra
 ciliorū atq; Catholicorū de hac re discrepantiā ips
 Bellarm: lib. 2. de Concil. c. 13. quando dicit: inter
 venire de Concil: & pontificis præ eminentiā. Sic p
 Concilia congregavit, in quibus impia decreta con
 cil: decretis damnata fuerunt. Ex quo patet posse esse
 esse 4. impia ac blasphema. Nonnunquā etiam sun
 non placentia, hi n. nec omnia nec omnes canone

34. Distinctio inter concilia Apostolica & Pont
 quæ sunt ex sacrâ script: & inter illa quæ sunt con
 solvit argumenta quæ Pontificii pro suis decretis e

35. Ex hætenus dictis satis concludere licet. Con
 decretorum autoritatem nullam esse in rebus fid
 & sic minimè hæc ipsa poterunt esse Theologiæ l

36. Nec hæc in re tandem Patrum autoritatem i
 quantum eam extollunt pontificii. Nam hos in plu
 entibus, lapsos fuisse, eorum scriptorū lectio man
 eatevram de Ireneo, Tertulliano, Lactantio, Cyp
 Epiphanio, Ambrosio, Hieronymo & Augustino re
 tu de Patrum autoritate c. 9. Imò ipse Bellarm. lib.
 neget, ait, Patres habuisse excellenter donum in
 puos eorum lapsos esse? Justinum, Irenezum, Epip
 & quamplures alii e Pontificiis nævos atq; errores

37. Attamen, his nævis minùs perpensis (et si co
 trum scripta præferunt Scripturæ divinitus datæ.
 Patrum esse veram Herculis clavam, quâ solâ he
 h. e. variæ hæreses, conterantur, at sacram scriptur
 regulam plumbeam &c. Sicq; potius juxta illa quar
 gicas esse judicandas atq; dirigendas.

38. Nos contra dicimus: patrum scripta ex se no
 ratam in rebus divinis facere, nec per se sufficiunt

et, ut illud
 errorib
 lib. 4. à p.
 d cuilibet
 patebit,
 emplo fit,
 ontrā Tri
 am con
 rofitetur
 non com
 VII. multa
 ium con
 : decreta
 ficiis ipsis
 cipiant.
 r decreta
 plurima
 oducunt
 ficiorum
 cidendis,

limus, in
 fide faci
 errorum
 , Hilario,
 in tracta
 .10. Quis
 n. præci
 menium;
 nt.
 tificii Pa
 monium
 capitem
 cereum,
 s Theolo
 m indabi
 am fidem

